







SEMPER VIGILANS


EX LIBRIS
JAMES WILLIAM ELLSWORTH.







PICTURAE ETRUSCORUM


M.Carloni fecit

PICTURAE
ETRUSCORUM
IN VASCULIS

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTAE

EXPLICATIONIBUS, ET DISSERTATIONIBUS INLUSTRATAE

A

JOH. BAPTISTA PASSERIO NOB. PISAUR.

Regiarum Academiarum Londinensis, Olomucensis, & Italicarum Furfuratorum, Bononiensis, Cortonensis, Panormitanae, Ferrariensis, ac Perusinae

SOCIO

VOL. PRIMUM

TABULAS C. CONTINENS

AERE INSCULPTAS.



Ex Vasculo penes Mercatorem Anconit

ROMAE MDCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIO JOHANNIS ZEMPEL.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolae.

PRAESIDUM FACULTATE.

JOH. FRANCISCO
S. R. E. CARDINALI
STUPPANIO
EPISCOPO PRAENESTINO.

JOH. BAPTISTA PASSERIUS PISAURENSIS.



Quod diu optaras, & vix futurum ſperabas, prodeunt tandem disjecta illa, & late diſperſa veteris Etruriae Veſtigia, quibus ex tota fere Europa ſimul collectis, atque ordinatis imaginem aliquam glorioſae Nationis reſtauramus. Hoc Tibi in votis fuerat, Princeps Eminentissime, cum Florentiae Apoſtolici Nuncii apud Magnum Ducem munere fungereris; ſolitus dicere

in frequentiſſimo illo ſummorum Virorum coetu, Tibique familiariſſimo novam Etruriam ſcientiarum, & artium omnium ultimum culmen attigiſſe hominibus praefinitum, nec ultra acerrimis illis ingeniis tentandum ſupereſſe, niſi per regreſſum intermiſſa quaererentur. Retrocedendum igitur eſſe dicebas ad anteacta ſaecula, ac funditus excutienda oblivionis latibula, in quibus feliciter exercerentur ad incrementum Etruſci nominis, & gloriam Nationis amplificandam. Auſpiciorum tuorum veritatem in novo hoc curriculo ita experti ſumus, ut vetus Etruria renaſcens tantam lectiſſimorum Monumentorum copiam orbi litterario contemplandam obtulerit, ut ſolo quadraginta annorum ſpatio Graecam, Romanamque Antiquitatem, abſit invidia, coaequaverit. Urbes univerſae ſua protulerunt Numiſmata Imperii teſtimonia, Deorum ſuorum ſimulacris productis, occultiſſimas quaſque explicarunt Religiones, ſculptis marmoribus mores, dignitates, praeclare geſta, pleraque alia, quae ad integrandam gentis hiſtoriam mire conducunt, patefecerunt. Ubi vero longe digrediuntur ad Trojanam hiſtoriam explicandam, fines ſuos non excedunt. Quis enim ignorat, Trojanorum ſanguinem cum Diis immortalibus conjunctum ex Etruria fuiſſe propagatum, ipſamque Trojam Deorum omnium grande negocium ejuſdem Nationis Coloniam exſtitiſſe? At monumentorum omnium dignitatem longe ſuperant Picturae in Vaſculis, ſingulare Etruſcorum artificium, quo ingenioſiſſima Natio ita luculenter rerum ſuarum memoriam ad nos uſque tranſmiſit, ut ex hac parte Graecorum, & Romanorum antiquitatem longe ſuperaverit. In fragili quidem materia, ſed facillimi adparatus, coloribuſque immortalibus encauſto confirmatis, & feſtinante pennicillo ſenſus ſuos ita explicavit, ut hiſtoriarum omnium interitum abunde ſuppleat

pleat complexu imaginum gesta omnia ad vivum exprimentium, & ut ita dicam, verba proferentium. Ambitio Graeca, & Romana, quae rerum memoriam non nisi aeri, & marmori commendavit, multa tacuit ob impensae difficultatem. Loquacior Etruria figulini operis contenta & gloriae suae magis consuluit, & nobis profuit artificii facilitate. Hisce igitur occurrentibus auxiliis, agnoscimus Etruscos intra privatarum aedium penetralia, & domesticas illorum curas intuemur, quo adparatu, quo cultu, Picturis sibi succedentibus, familiaria sacra peregerint, quo solemnia dationis Togae celebraverint, & singularem cum Diis familiaritatem prae omnibus populis admiramur. Rursus spectaculorum adparatum, ludicros Larvatorum processus, si quid ludicrum erat in populo, qui actiones universas consecrabat. Quinimmo comicas repraesentationes ad vivum expressas spectamus; & quod caput est, multa in his Tabulis de seclusis Bacchi mysteriis revelantur, quae alibi frustra inquiruntur. Multa quoque de illorum opinione circa animarum statum post mortem observare datum est. Demum nullum vitae officium praeterit, in quo vetus Etruria mentem suam non aperiat. Haec, PRINCEPS EMINENTISSIME, cum aliquando, licet tumultuarie, in schedis meis observares, e litteratorum Republica esse pronunciabas, si aliquando haec Tabularum series in lucem prodiret, qua nihil luculentius, lumen sibi invicem ipsis Picturis ministrantibus, vel sine commentario. Haec Tua erat censura, hoc Tuum judicium, cui maxime detuleram, quum periculum rei novae, & maxime obscurae praecavendum reputarem. Hic timor & Tuae laudi, meaeque securitati consuluisset, nisi rei pulchritudo resistentem animum paullatim superasset. Primum itaque schedas in Classes distribui tentamine innocentissimo. Successit

ceſſit ardor nomenclaturae , quae paullatim abiit in notulas, quae ſuccreverunt in continuatam expoſitionem, cenſuris utique divexandam, a quarum contagio immortale Nomen Tuum omnino erat praeſervandum. At fruantur cuncti ea parte, quae Tua eſt, Tibique referat acceptum Eruditorum Reſpublica, quod tam nobilis, ac multiplex Etruſcarum Picturarum ſeries, in qua Natio extincta reviviſcit, in publicum prodeat, in qua inluſtranda feliciora ingenia exerceantur. Quid enim non ſperandum ab Etruriae Litteratis Viris, praeſertim vero ab Academia Cortonenſi ſub Sapientissimo, ac Magnanimo Principe omnium bonarum artium Parente, cujus beneficio referenda eſt FELIX TEMPORUM REPARATIO? Ceterum Viri docti laborem hunc meum in hiſce Tabulis exponendis pro nihilo habeant, ut habeo, proferantque ſemper meliora. Vota ad alios convertimus, ut litterarum ſplendor augeatur. Utinam aliquando habeamus, Eminentissime Cardinalis, quo populorum deſideria ad hanc felicitatem aſſequendam, ut deſideriis concipio, in nos dirigantur.

ADPRO-

ADPROBATIONES.

JUſſu Rm̃i P. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri perlegi hunc librum, qui inſcribitur: *Picturae Etruſcorum in Vaſculis*: in quo celeberrimus Auctor, & Antiquitatis inluſtrandae ſtudio inclitus, inſigne eruditionis ſuae, & acuminis ſpecimen edidit: unde cum nihil in hoc Opere animadverterim, quod Religionis Catholicae praeceptis, & bonis moribus repugnet, eximiam inde utilitatem rei Antiquariae ſtudioſos percipere poſſe perſuaſum habeo. A. D. 4. Junii 1767.

Jo. Winckelmann Praefectus Antiq. Roman.

MAndatis Rm̃i P. Thomae Richini S. P. A. Magiſtri obtemperans legi Diſſertationes, quibus eruditiſſimus *Paſſerius Etruſcorum Picturas* illuſtravit. In his clariſſimus Auctor Graecis, & Latinis litteris non ſecus, ac Tyrrhenorum ritibus lumen allaturus, veterum ſenſa tam docta, tam felici interpretatione adſequutus eſt, ut non mediocri voluptate, atque admiratione legentes afficiat. Tantum abeſt, ut religioni, & moribus Chriſtianis ab obſoleta antiquorum ſuperſtitione ſummopere abhorrentibus officiat. Quamobrem Reipublicae litterariae, & Italico nomini optime conſulere eum cenſeo, qui egregium opus omnigena eruditione refertum typis edendum curet. Ex aedibus meis III. Idus Junias, A. M. DCC. LX. VII.

Joannes Baptiſta Vicecomes.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Patriarch. Antioch. Viceſgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praed. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

JOH.

JOH. BAPTISTAE PASSERII

PISAURENSIS

TRACTATUS

PRAELIMINARES

IN PICTURAS ETRUSCORUM

IN VASCULIS.

I. Prolegomena.

II. Vindiciae Etrufcae.

III. Differtatio de Laribus Etrufcorum.

IV. Differtatio de Re Veftiaria Etrufcorum.

V. Differtatio de Pictura Etrufcorum.



JOH. BAPTISTAE PASSERII
PISAURENSIS
PROLEGOMENA.



QUOD dudum Viri docti vehementer poſtulabant, tandem aliquando integram Etruriam in hiſce Picturis redivivam oculis omnium ſubjicimus, omnigenoſque illius mores longa aetate obliteratos multiplici adſpectu videndos exhibemus. Prodierant quidem aliquando pauculae ex iſtis, quae deſiderium magis excitarent, quam quod erudirent; nihil enim conſtans ex modica illa ſupellectile proferri poterat, nec aliunde illarum ſignificatio exſpectanda erat, quam ab ingenti, & longe uberiori copia, quae aliquando prodiiſſet.

Obſtabat vero omnium votis ipſa Etruſcae Picturae raritas, quam rei fragilitas augebat, immo illa eadem Doctorum Virorum ſollicitudo, ex qua factum eſt, ut vaſa Thuſca vix lucem nacta longe, lateque diſtraherentur, non modo per Italiam totam, ſed & ultra Sauromatas, & glacialem Oceanum, & toto diviſos orbe Britannos, e quorum finibus magno labore, & fere vicennali ſollicitudine delineata in ſchedis revocata ſunt. Tantum vero beneficium magna ex parte debemus memoriae Cl. Viri Antonii Franciſci Gorii mihi, donec vixit, amicitia conjunctiſſimi, qui mihi per Italiam fere totam ſupellectilem hanc conquirenti non modo

do juvit acceſſionibus peregrinis, verum etiam ſeriem hanc notis meis inluſtratam ſumptu ſuo publicare, Tabulaſque aeri incidi conſtituerat, quod ex parte factum eſt, quod de ceteris Tabulis, quae apud me ſunt in magno numero, & in dies augentur, ſi vita comes fuerit, ſum praeſtiturus.

Interim quo conſilio, quave induſtria uſus ſim in hiſce Vaſculariis Picturis adhuc penitus incognitis explicandis, ingenue proferam. Et quod primum eſt, cumulata ſimul hac Iconum collectione, & ad quinas fere centurias aucta, coepi ſingulas Tabulas diuturno, & ſolerti ſtudio verſare manibus, illaſque iterum, iterumque evolvere. Hinc duplex beneficium emerſit; nam & idea quaedam univerſalis rerum, quae in illis continentur, mihi parta eſt, & praeterea typus quilibet mihi familiaris eſſe coepit, ut dum in ſimiles inciderem, illos facili negotio ex tota mole conquiſitos ſimul conjungerem.

Interim ex tota ſerie praecipua capita ordinare coepi, ad quae multa commode referri poſſe videbantur. Illis vero ita diſtributis, illorumque ſingulis differentiis adinvicem comparatis, deprehendere mihi viſum eſt, quae themata, quaeque argumenta continerent, ita tamen, ut una alteri Picturae opem ferret, ſeque invicem ſupplerent, ut quodammodo ex pluribus una coaleſceret; quae quidem ratio omnium una mihi occurrit, ut rem alioqui incognitam adſequerer, ac declararem.

Id ubi factum eſt, antequam judicium de Picturis proferrem, uſus ipſorum Vaſorum mihi indagandus fuit; nemo enim ſibi perſuadebit, illorum emblemata, atque Picturas longe ab eo fine abiiſſe, in quem Vaſa illa concinnata exſtitiſſent.

Mentem vero plaſtici artificis duo produnt, moles, & forma. Nam quae maxima ſunt, & tripedalem menſuram excedunt, cujuſmodi in Muſeo Mediceo adſervantur, familiarem, & privatum uſum longe exſuperant, ut facile conjiciamus, computata fuiſſe inter pompatica, quae in Larariis, aut Templis conſtituerentur. Minora vero, plerumque ſeſquipedalia, & quae infra ſunt, promiſcuum hominum uſum facile teſtantur.

Forma rurſus illorum uſum prodit. Vaſa patula, quemadmodum lances, atque patellae, ad res ſolidas continendas videntur fuiſſe accomodata, veluti ad cibos, molas, primitias, atque alia hujuſcemodi in uſum ſacrum, atque profanum. At contra, quae anguſto ore pollent, non aliter, quam ad liquores continendos, vina praeſertim, & aquam arſeriam in ſacrorum, & menſae uſum concinnata fuiſſe, nobis ſuadent. Huc refero gutturnia

turnia illa, ex quorum repando ore hinc inde compreſſo naſus proſilit, quam formam obviam adhuc habent in oenophoris plebei homines, & e quibus in menſa potant.

Una ſupereſt difficultas in ea Vaſorum forma omnium communiſſima, quorum venter ex anguſta baſi in altum adſurgens paullatim in calicis repandi formam ſuperne dilatatur, quo nomine libenter illos adpellarem, ni moles uſui impar, & quae plerumque ſexquipedem aequat, prohiberet. Obvia ſunt haec Vaſa in Campania, in quorum ſepulcris inveniuntur referta cineribus, & patellis ſurſum deorſum inverſis cooperta, quorum bina ſuis adhuc tegulis referta ad me miſſa ſunt. Si uſum reſpicimus, inter ſepulcralia computabimus, at contra judicabimus, ubi emblemata ſpeculabimur. Haec Vaſa libenter crateres adpellarim, ea, inquam, capacia Vaſa, & numero familiae reſpondentia, quae in menſa conlocabantur vino referta, unde convivae minoribus poculis haurirent, hinc Virgilius Aeneid. I.:

> *Crateres magnos ſtatuunt, & vina coronant.*

Illis baſim ſupponebant, quae proprio nomine *Machinula Incitega* adpellabatur, de qua Feſtus: *Machinula Incitega, in qua conſtituebatur in convivio vini amphora, de qua ſubinde deferrentur vina.* Ita dicta ab integendo, ne ex vino maculam menſa contraheret.

Confirmat vero hanc meam conjecturam, fuiſſe nempe hujuſmodi Vaſa in uſum vini deſtinata, quod plerumque Bacchicis ſymbolis, & Orgiorum myſteriis inſignita videantur, quemadmodum ingentes illi marmorei Calices hanc eamdem formam referentes, & praeſertim Nolanus Salpionis, qui proinde exculpti fuiſſe videntur, ut inde in Bacchanalibus initiatorum turba epotaret. Quod vero tunc ingentia illa Vaſa praeſtiterunt in pompis, minora haec domi, praecipue Bacchicis ſacris recurrentibus, officium exhibuerunt. Quapropter & forma, & ornamenta proprium uſum illorum produnt, nempe ad vina in domeſticis menſis continenda.

Quia vero irrepſerat ſuperſtitio, qua initia Bacchi ad animarum expiationem conferre credebatur, unde etiam factum eſt, ut tam frequenter in ſepulcris ſculperentur, inde, ut puto, mos irrepſit, ut defunctorum cineres in iiſdem crateribus conderentur, ex quibus olim Baccho libaſſent, ſeu potius quia ejuſdem Vaſis forma recipiendis cineribus apta, & commoda videretur, & Bacchica emblemata minime ſepulcro repugnarent.

Subeſt praeterea altera ratio, cur

Campa-

Campani tornatilibus hiſce Vaſculis libentius uterentur ad cineres contegendos, quam lapideis oſſuariis, quemadmodum apud Thuſcos Montanos fieri conſuevit; Cum enim Campania marmoribus deſtituta ſit, & contra maxima illi argillae gloria inſit, hanc libentius in uſum ſepulturae elegerunt, Terrae matri religionem quamdam praeſtantes, unde factum eſt, ut, luxu etiam increbreſcente, Viri quidam inluſtres fictilibus doliis ſe ſe condi maluerint, ut notavit Plinius. Itaque Vaſa quaelibet etiam vinaria, lagenae quoque, atque amphorae cujuſvis formae cineribus addictae in Campanorum ſepulcris inveniuntur, quamquam in longe alium uſum fabrefactae, quaecumque ad manus pervenirent, ubi funeris occaſio poſtularet.

At contra, ut diximus, in Etruria interiore, cum marmoribus maxime abundet, illis defunctorum cineres libentius commiſſi ſunt, ex quo fit, ut in ea Etruriae parte Vaſa fictilia depicta inveniantur quidem, ſed multo rarius, quam quod in Campania illorum feraciſſima; Cum enim ex hiſce thoreumatibus nihil amplius nobis ſuperſit, quam quod ſepulcrorum religio praeſervaverit; ubi illorum uſus parcior in funeribus fuit, ſumptuoſiore materia ſubſtituta, perraro in iis regionibus inveniuntur, quamquam non dubitem, apud Antiquos familiariſſima exſtitiſſe.

Non ſolum vero Vaſorum moles, atque figura, illorumque ornamenta conducunt ad veterem illorum uſum dignoſcendum, ſed & ipſa materia. Quamquam enim antiquitus una, eademque argilla & Diis, & proceribus, itemque & privatis miniſtraverit, quum

Caenabat lautus Porſena fictilibus,

& Numa fictili ſimpulo, nigroque catino uteretur, invaſit tamen Etruriam ditioris ſupellectilis ambitio, cujus argumenta ex hiſcemet Picturis eruuntur, in quibus matronae conſpiciuntur ornatiſſimis veſtibus, & monilibus decoratae, gemmatiſque pateris ſacrificantes. Superſunt etiam ſatis frequentia Etruſcorum ex aere, nonnullaque ex argento Vaſa, ex quibus manifeſte deprehendimus, increbreſcente luxu, ſupellectilem ſacram, proinde & Nobilium familiarum praetioſiſſimam exſtitiſſe, proptereaque fictilia haec Vaſcula in uſum popularem, atque omnino privatum fuiſſe accommoda, ſi paucula excipiamus tam concinno ſtudio expolita, ut ars materiae gratiam conciliaverit.

Cum proinde & materia, & moles, & forma prodat popularem horumce Vaſorum uſum, ſupereſt, ut expendamus, qua mente, & quo conſilio a Pictoribus Thuſcis exornata ſint, & ex quibus fontibus argumenta

ta ſumpſerint ad illa decoranda. Ubi vero conſtituerimus, Vaſa haec in privatum uſum fuiſſe confecta, ſatis prona eſt conjectura, quod Pictores illi a privatis, domeſticis, & popularibus caeremoniis, atque ab omnibus potioribus humanae vitae actibus emblemata deſumpſerint. Diſſonum enim a ratione videtur, Deorum, naturaeque arcana, reconditaque myſteria formari in Vaſculis, quae popularis quiſque privato uſu contereret.

Rationem hanc alioqui validiſſimam experientia confirmavit. Cum enim, praevio hujus conjecturae lumine, Tabulas ſingulas perſcrutarer, facile deprehendi, in hiſce Picturis nil praeter privatas ſolemnitates eſſe adumbratum; Nuptias nempe, feſta Natalitia, virilis togae adtributionem; dein conſtantioris aetatis exercitia, venationem, bella, ovationes, vota, initia, ſacra, ſpectacula; demum &, quae omnia complectitur, mortem, atque luctum, & ſupremum hominis officium, ſepulturam. Nec eſt, cur miremur, Thuſcos noſtros haec vitae officia in Vaſculis familiaribus depinxiſſe; Cum enim in illorum uſum fabricarentur, fortaſſe etiam & dono mitti ſolerent, convenientiſſimum erat, ut iiſdem rerum imaginibus ornarentur, in quorum gratiam ducebantur. Sic, ut exemplo utar, ſolemnis erat caeremonia, qua in Bacchanaliorum celebritate togam rectam adoleſcentibus tribuebant. Hinc factum eſt, ut frequentiſſima in his Bacchanalia videantur delineata, pone adſtante patrefamilias cum filio ſuo toga recta circumdato, ex quo in hiſce ſolemniis Vaſa haec caeremoniae reſpondentia comparari ſolerent. Quae cum ita ſint, nemo jam non videt, totam, integram, univerſamque Etruſcorum hominum vitam, omnigenaque illorum officia ſparſim in hiſce Vaſculis complecti, ut jure merito in hujuſce Praefationis ingreſſu promiſerim, Etruriam totam redivivam ex hiſce Tabulis erupturam.

Nec minimum quidem ſententiae huic meae obverſatur, quod aliquando in hiſce Picturis fabulae quaedam intermixtae ſint, immo, quod frequentiſſime, & Deorum ſimulacra. Quin immo haec omnia maxime favent ad opinionem meam confirmandam. Nam quod attinet ad fabulas, & quaedam Deorum myſteria, quae in his expreſſa obſervantur, nihil profecto ſunt, niſi merae quaedam adluſiones, ſive ſymbolicae imagines, quae boni ominis cauſſa humanis quibuſdam caeremoniis adludebant. Sic, ut exemplo utar, in gameliis crateribus, qui in Nuptiarum gratiam confecti ſunt, Jovis, & Junonis Nuptiae deſignantur. In illis praeterea, quae

occaſione virilis togae, quam puberes ſumerent, conficiebantur, Herculis facinora repraeſentantur, ut exemplar virtutis adoleſcentibus proponeretur. Vaſa funebria multa habent, quae ad animarum felicitatem per fabulas Heroum adludunt. Haec tamen tanti non ſunt, quin a propoſito ordine recederem, nam haec omnia ad humanae vitae actus adornandos a Pictoribus adſcita fuere, illiſque ſymbolice famulantur.

Dii vero frequenter in omnibus caeremoniis intermiſcentur ad eorum Religionem denotandam; cum enim actus fere omnes a Diis exordirentur, atque ab auguriis, & libationibus, quae veterum Thuſcorum ſuperſtitio fuit, oportebat, Pictores ad hunc mentis conceptum exprimendum Deos ipſos effingere modo e Larariis prodeuntes, ſive circumquaque exſultantes exprimere, & mortalibus intermixtos libamina, & ſuffitus excipere.

Maxima vero circa id cautela adhibenda fuit ad Deorum imagines ab humanis dignoſcendas, in quo quidem ingenue fateor, non adeo me profeciſſe, quin aliquando non ſim alucinatus, quod in gratiam veritatis proferendum erat, ut ii, qui aliquando ſtudium id promoturi ſunt, uberioribus auxiliis forte ſubfulti, quod rudi adhuc ſtudio perturbavi, progreſſu ſuo corrigant, atque perficiant. Dicam tamen, quibus conjecturis utraſque diſcernendas eſſe cenſui. Dii ab hominibus diſtinguuntur primo ex adtributis, & ſymbolis, quae Deo familiaria ſunt. Haec tamen ratio fallit perſaepe in Bacchanalibus, in quibus mixtae & Sacerdotriae, atque initiati Bacchicis ſymbolis adornantur. Praeterea cultus veſtium Deos ab hominibus diſterminat; credibile eſt enim, Deos illos eſſe, qui nudi togatis intermixti ſunt, vel unico peplo ornantur, magis quam veſtiantur. Contra paganica veſtis mortalem deſignat, ſed quandoque fallit etiam haec regula; nam Larem familiarem ſaepe familiari habitu induebant. Alae humeris additae Deum demonſtrant, Genios praeſertim, & Genias, Horas, atque Victoriam. Ornamenta plus aequo conſarcinata Deas magis, quam Matronas, & novas nuptas indicant, donaria praeſertim armillarum, vittarum, & coronarum, quae prope ſuſpenſae cernuntur, in quo etiam cautiſſime procedendum eſt, nam ſaepe ſaepius privatae fortunae homines haec anathemata Deorum forulis, qui nulli adparent, dicant, atque ſuſpendunt. Locus praeterea ſacer, Lararium nempe in armarii formam extructum Deos interne conſiſtentes, & circumquaque tripudiantes deſignat. At in hoc quoque cavendum eſt, nam intra Lararii fores

res aliquando puellae, & matresfamilias pictae ſunt, filiorum barbam primum intonſam, ſeu bullas, & pueriles veſtes Deae Juventae, Pudicitiae, Veſtae, Larae, & Junoni offerentes.

Magni quoque momenti eſt altera obſervatio, Pictores Thuſcos Diis ſingulis Deas compares libentiſſime conjunxiſſe; Quod ſaepe ſaepius ſimilitudo ſymbolorum prodit. Hujus vero inſtituti rationes plures ſpeculatus ſum, quarum magis obvia fuit, quod cum Deos crederent humano more felicem aevum tranſigere, caelibes, & ſolitarios eſſe nolebant, ſed conjugatos. Praeterea cum utriuſque ſexus, ſeu neutrius Deos eſſe reputarent, ut utramque naturam indicarent, illorum poteſtatem, ſive eſſentiam ſub duplici adſpectu maris, & feminae exprimebant. In hoc etiam & virorum, & feminarum gratiam aucupabantur, ut ſingula Numina & pater, & materfamilias ſub duplici forma recognoſcerent, quemadmodum & nomina duplicarunt. Itaque & Deum Janum, & Deam Janam memoratas videmus, Martem, & Marteam, Liberum, & Liberam, Larem, & Laram, Ganimedem, & Ganimedam.

Curioſa vero eſt diſpoſitio, qua Thuſci Deas conjuges copulabant. Saepiſſime quaterni circum Lararia exſultant; bini mares, totidem femellae. Imminet quandoque Vir, ſubeſt Dea, vel contra; ſaepe e regione poſiti ſunt; Quandoque in dextera Vir priorem locum tenet, Conjux ultimum in ſiniſtra. Deus vero huic imminens Conjugem reſpicit in dextero latere ſubjectam, ſibique per decuſſatas lineas reſpondent, quod in arbitrio Pictorum repoſitum exſtitiſſe, judicamus.

Quia vero de Diis ſermo incidit, monendum eſt, in hiſce Picturis plurimos occurrere ignotorum ſymbolorum, aut etiam nullorum, quorum nomina vel penitus, penituſque ignoramus, vel ſi umquam ex Auguſtino, & Arnobio memorari legimus, illa profecto ſine oſcitantiae nota adſignare non valemus. Non enim dubito, in Picturis Nuptialibus aliquam de Diis, qui foribus praepoſiti erant, rationem habitam, ut novam nuptam religioſe exciperent, atque ſervarent. Sed ex quibuſnam promptuariis notas illas excipiemus ad deſignandum Deum Forulum, Limentinum, Deam Cardeam, Picunnos illos, atque Pilumnos nuptiarum potentiſſimos? Felices hujuſmodi progreſſus felicioribus aliquando ſaeculis praeſervantur, quae uberiore monumentorum copia ſubfulta Picturam Etruſcam amplificent, quam tenui ingeniolo, aſperiſque ſollicitudinibus diſtenti nos omnium primi, atque rudes adtentavimus,

c 2

mus, meliora in aliis provocantes.

Supereſt, ut pauculos fontes indigitemus, ex quibus auctoritatem aliquam ad haec Vaſa explicanda deprompſimus. Tres omnino ſunt; Graecorum auctoritas, e quibus cum plerumque Thuſcos noſtros progenitos habeamus, ſatis credibile eſt, mores plurimos ex illis retinuiſſe: Praeterea Romanorum; cum enim ſciamus, multa eos ab Etruſcis fuiſſe mutuatos, immo ab illis circumſeptos, vero maxime accedit, utriuſque populi mores in multis conveniſſe. Quapropter cum in his Tabulis caeremonias videamus, quae Graecis, & Latinis teſtimoniis declarantur, minime abſurdum duxi, ſi ad ipſos mores inluſtrandos eadem adhiberem. Quod praecipue fieri oportebat, cum Scriptorum illius gentis neminem penitus habeamus. Maxima vero, atque omnium aptiſſima auctoritas ex ipſiſmet Etruſcis monumentis mihi ſumpta eſt; cum enim idem ritus in multis Picturis recurrat, ſed parerga, & additamenta ſint in omnibus varia, haec omnia ſimul collecta, & ordinata rei notitiam locupletant, & ejuſdem ritus hiſtoriam integrant, & per partes confirmant. Quare haeſitandum non fuit, quin ad haec monumenta explicanda lumen ex iiſdem peteretur, ut ubi deeſſet auctoritas ſcripta, propoſito noſtro picta ſuccederet.

In hiſce vero inluſtrationibus, quaecumque eae ſint, hunc ordinem mihi propoſui; Cum enim *Thuſcorum Vitam*, & mores ex hiſce Picturis reintegrandam ſuſceperimus, a Nuptiis, unde hominum exortus exſpectatur, exordium faciemus. Dein ad Natalia, progrediemur. Rurſus pergemus ad pueritiae, dein ad juventutis officia. Subinde ad ſtudia virilitatis; quae in hiſce Tabulis continentur. Seriem denique noſtram, ut par eſt, funus excipiet. Tabulas ſingulas ſejunctim perbrevi elogio explicabimus, quae certa ſunt, faciliore judicio; quae obſcura, vel deſperata, dubio, vel nullo. Omnia vero doctorum hominum Sententiae ſubjiciemus, quos inter cum nullo umquam titulo nobis vindicandus ſit locus, honori maxime referemus, ſi nos de iſtis ſcribentes aliquando patienter ferant.

Demum, ubi totus adparatus in lucem prodierit, mores ſingulos Etruſcorum ex ſingulis Tabulis diligenter collectos, & ſingillatim ordinatos perbrevi methodo in ordinem, & veluti in tabulas redigemus, ut ex hac collectione fructus uberior, & facilior eruatur.

VINDI-

VINDICIAE ETRUSCAE.



Udivi persaepe dubitari, an Vasa depicta, quae vulgo Etruscis deputantur, & quorum ingentem adparatum in lucem prodeuntem perbrevibus notis prosequi instituimus, jure merito huic Nationi adscribantur, aut potius inter peregrina censenda sint; quam quidem difficultatem contentionis studio magis, quam veritatis objectant, qui vere in his studiis peregrini laudem sibi aliquam ex cavillatione auspicantur. Quapropter eadem peculiari disputatione Thuscis nostris vindicanda censui, cum maxime conferat ad fructum inde colligendum constabilire, quo ingenio, quove artifice, quove in loco confecta sint.

Nationes singulas interpellabimus, quae sibi quodammodo possent hanc gloriam vindicare, illas, inquam, quae politiorum artium studio ea ipsa aetate floruerunt, qua haec opera facta esse constat. Occurrit primo Phaenicia, quae diligenter artem figulinarem excoluit, in tantum, ut illius regionis Thoreumata longe, lateque circumferrentur. Supersunt adhuc in Sicilia Vasa Phoeniciis notis inscripta. Inveniuntur & in Senonia; at ne nullum quidem Picturae vestigium servant. Vasa Aegyptia in magno pretio exstiterunt; at lactea illa argilla, quandoque & nigerrima, ex qua constant Nilotica monumenta, longe abest a materia Etruscorum, quam si conferamus cum recentibus Etruriae fictilibus, ipsissimam esse cognoscemus. Si quid vero pictum in figulinaribus Aegyptiorum operibus observemus (sunt enim & hujuscemodi in Thesauro Vaticano) Aegyptiacum stilum, & Deorum illorum monstra Patriam incusant. Graecorum Vasa, praesertim Samia argillae nobilitas commendabat, atque mira tenuitas. Picturam hisce addidisse, incompertum mihi est, & cum inde adhuc marmorum, gemmarum, numismatum, ac sigillorum copia ad nos deferatur, numquam vero tale quid e Graecia delatum est. Praeterea vestium forma, ceteraque emblemata in hisce Vasculis expressa Italicis potius formis respondent, quam Graecis.

Cum igitur & materia, & stilus Regioni huic nostrae respondeat, & immensa propemodum copia illorum,

quae

quae apud nos indefinenter eruitur, Italis faveat, contentio erit inter Romanos, Campanos, & Thuſcos. At Romani in ipſo quaeſtionis ingreſſu a negocio decident. Roma omnium lautitiarum opulentiſſima nihil horum e ruderibus profert, ut pene videatur, Vaſa haec neque adventitia habuiſſe; Quod niſi omnium fere Antiquariorum teſtimonio, quos Romae colui, & diuturno experimento didiciſſem, cum nec minimum quidem Etruſcae Picturae fragmentum inter tot Romanorum parietinas umquam invenerim, una mihi ſufficeret ampliſſimi Bonarotii auctoritas, qui §. 9. Diſſertat. in Dempſter. haec habet: *Notandum etiam eſt, Vaſa haec reperiri per Italiam in locis, ubi antiquiſſimis temporibus Etruſcorum Coloniae efloruere, cum Romae, ubi antiqua monumenta, vel eorum fragmenta diverſi, ac pene innumeri generis effodiuntur, dum in ea urbe per quindecim, & eos expletos annos moram duxi, numquam audiverim, vel ſciverim effoſſa ſimilia Vaſa fictilia more Thuſco depicta*. In cujus auctoritatis confirmationem illud quoque addendum eſt, Vaſa omnia Etruſca, quae Romam invecta ſunt, ex Etruria, & Campania prodiiſſe. Cum vero ex toto terrarum orbe Vaſa fictilia in urbem principem conveherentur, quaeque adhuc non ſine admiratione eruuntur, & contra cum nulla Etruſcorum Vaſa inter Romanas parietinas inveniantur, in ſuſpicionem inducit, artem hanc Etruſcorum jam fuiſſe intermiſſam ea aetate, qua Romanorum magnificentia peregrina Thoreumata, & ſumptuoſi operis Vaſcula in partem luxus admiſit.

Eſt & alia ratio, atque ea vehementiſſima, qua gloria hujus Picturae Romanis auferatur. Obſervabam aliquando, pateras ſacrificiales, quotquot adhuc intuemur, ſi unam, vel alteram excipias, omnes Etruſcas eſſe, licet in Latio, in Sabinis, in Umbria, Piceno, atque in Campania reperiantur. Cum igitur Romani, & qui Romano nomine cenſebantur, pateras Etruſcas, abjectis fictilibus, undequaque adoptaverint, Vaſa etiam Etruſca tam eleganter depicta excepiſſent, ſi illorum artificium ea aetate perſeveraſſet, qua lautitias univerſas colligere ſolebant.

Notandum quoque eſt, artem figulinam Romae plurimum expolitam fuiſſe, & maximo ſtudio nobilitatam anaglyphis, emblematibus, ut conſtat potiſſime ex Lucernis Romae formatis, & Imperatorum titulo inſcriptis. Vaſculum vero pictum Romanis tribuendum numquam penitus, penituſque vidi. Id tamem artificium pulcherrimum non praetermiſiſſent, niſi ſecreta artis ceramicae pingendae opere encauſtico tormento fornacis obſiſten-

ſiſtente obliterata fuiſſent, periiſſentque cum ipſis artificibus reconditae ſcientiae tenaciſſimis; quemadmodum artifices Piſaurenſes tribus ab hinc ſaeculis aureum colorem mire ſplendidum fictilibus ſuis indidere, & purpuram elegantiſſimam, quorum temperaturam modis omnibus nuper tentatam numquam potuimus revocare. Hinc facile hiſce Vaſculis majorem adſero antiquitatem, cum, florente Roma, fieri deſierint.

Favet Campanis immenſa penitus copia, quae ab initio hujus ſaeculi erui coepta eſt, ut ſeptuaginta circiter annorum ſpatio Europam totam exornaverit. Commendatur praeterea ob figulinae artificium Campania, ut apud Horatium Satyr. 6. lib. I.:

Et lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet; adſtat Echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex;

& Satyr. 3. lib. II.:

Qui Vejentanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis;

Quem locum ita inluſtrat Torrentinus: *Ob argillae in Campania bonitatem, unde plurimae illic figulinae.* Quapropter in pretio erant; Martial. lib. XIV. 107.:

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam
Municipem miſit caſta Sybilla ſuum;

& Epig. 95.:

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinae leve thoreuma rotae.

At multo majora ſunt, quae Etruſcis adſerunt horumce fictilium gloriam. In primis vero antiquitas, immo artis origo inde per Italiam promulgata. Sic enim legimus apud Plinium lib. XXXV. Cap. 12. haec de plaſtices origine tradentem: *Demaratum Corintho profugum, qui in Etruria Tarquinium Priſcum Regem populi Romani genuit, comitatos fictores Euchira, & Eugrammum ab iis Italiae traditam Plaſticem.* Haec vero artificum nomina ab ingenii excellentia indita fuiſſe puto ob manus, & ſtili elegantiam; alter enim fictilia ducebat, alter vero exornabat. Floruit vero uſque adeo apud Thuſcos id artificium, ut omnia fere Deorum ſimulacra, quae ex luto fingebantur, ab illis exciperentur. Idem Plinius loc. cit: *Ante hanc aedem Cereris Thuſcanica omnia in aedibus fuiſſe, auctor eſt Marcus Varro.* Inde quoque accitus Plaſtes, qui quadrigas fictiles ad faſtigium Templi Capitolini exornandum componeret, ut auctor eſt Feſtus in *Ratumena*. Celebratiſ-

bratiſſima quoque Thuſcorum Vaſa habebantur, ut colligitur ex Juvenale Satyr. II.:

Ponebant igitur Thuſco ferrata catino
Omnia tunc;

& Perſius Satyr. II.:

Veſtaleſque urnas, & Thuſcum fictile mutat;

& Martial. lib. I. epig. 54.:

Sic Aretinae violant cryſtallina teſtae;

& lib. XIV. 98.:

Aretina nimis ne ſpernas Vaſa, monemus,
Lautus erat Thuſcis Porſena fictilibus.

Nec minimi ponderis eſt auctoritas Scriptorum medii aevi, & noſtrae aetatis teſtantium uberrime, in tota fere Etruria haec Vaſa depicta inveniri, praeſertim vero Reſtauri Aretini, cujus verba exſcripſit Cl. Gorius in Hiſtoria Litteraria Etruſca pag. 207., qui circa annum 1282. teſtatus eſt, ſe circa Aretium effodi vidiſſe immenſam pene copiam Vaſorum depictorum. Adſtipulatur auctoritas laudatiſſimi Bonarotii Viri oculatiſſimi, qui alia ſimilia per totam fere Etruriam aetate ſua defoſſa eſſe, ſaepe teſtatus eſt; cujus teſtimonium excipit fides haud minoris ponderis ejuſdem Gorii, qui loco cit. pag. 205. haec habet: *Oculis noſtris erui illa vidimus, aut reſcivimus magno in numero, dum terra verteretur in agro Volaterrano, Cortonenſi, Aretino, Cluſino, Senenſi, Politiano, Peruſino, Piſaurenſi, & Tuderte, nec non in aliis*. Quibus libenter adjicerem amicorum eruditiſſimorum teſtimonia, qui mihi per litteras haec eadem confirmarunt, niſi propoſita brevitas prohiberet. Quod vero in Campania copioſius inveniantur, tribuendum eſt immenſis illis terrae egeſtionibus, quae ad munitiones amplificandas hoc ſaeculo factae ſunt, quod adhuc Etruriae urbibus non contigit. Luxus praeterea Etruſcorum, qui marmoreas urnas induxit, in cauſſa fuit, cur parcius fictilia ſepulcris mandarentur, cum contra his contenta Campania Vaſculis ſepulcra oppleret, ut quodammodo propria videantur, quae forte olim fuere adventitia.

Veſtium omnigenus cultus, ſymbola, ornamenta, ritus, & mores in hiſce Vaſculis depicti ita reſpondent ſtilo Etruſcarum ſcalpturarum, atque ſimulacrorum, ut ubi utraque comparaveris, minime haeſitandum ſit, quin omnia eidem genti adtribuas. Quanto enim a Romanis modis recedunt, tanto magis conveniunt cum Etruſcis.

Confirmat ſententiam hanc noſtram uſus ſcripturae Etruſcae in hiſce Picturis ab antiquo artifice adhibitae, praeſertim vero in fictilibus pateris, quas

quas integro Volumine collectas post Vascularium seriem prodituri sumus. Has inter memorare licet Caponianam, in qua Nessus Deianiram rapit, hoc lemmate Etruscis litteris adjecto, quod latinis notis ita reddimus, & explicamus:

DAINANE Deianira
ANENISOS Nessus.

In altero quoque fragmento, quod Neapoli in Museo Ducum de Ulloa adservatur, geminae equorum cervices observantur cum Etrusca inscriptione, quam pariter latinis elementis describimus:

PICOIE Pirous
ETHINEVS Ethon;

Ibi enim Solis equi repraesentantur, quod quidem monumentum diligenter lustravit, litterasque rimatus est doctissimus Franciscus Valletta, qui litteris ad Gorium datis testatus est: *Illud vere antiquum & sine alicujus fraudis suspicione*. At, inquient, etiam Campania Etrusce scripsit; Quod & nummi testantur, & ejus nationis marmora, in quorum explicatione & ipsi operam navavimus nostram. Ita prorsus. At quid inde? Ex quo Campani in Linguae Etruscae partem accesserunt, universa Thuscorum Monumenta sibi vindicabunt? Non hercle, si quid recte sentio. Utcumque tamen res se habeat, dum etiam haec Vasa, quae inlustramus, aut magna illorum pars a Campanis artificibus effecta sit, minime tamen video, cur Etrusco nomini subtrahantur, nam & Campania, & praesertim Capua horum Vasorum promptuarium Etruscorum Colonia fuit. Paterculus lib. I.: *M. Cato dicit, Capuam ab iisdem Thuscis conditam, ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur annis circiter CCLX.* Pompon. Mela. lib. II. Cap. 7.: *Ad dexteram Capua a Thuscis condita*; & Polyb. lib. II.: Πλὴν ταῦταγε τὰ πεδία, τὸ παλαιὸν ἐνέμοντο Τυῤῥηνοί. καθ' οὓς χρόνους, καὶ τὰ Φλέγραια ποτὲ καλούμενα τὰ περὶ Καπύην, καὶ Νώλην πεδία. *Igitur planitiem istam tenuere quondam Etrusci campos circa Capuam, & Nolam. Phlegraeos quondam dictos possidentes*; Et Liv. lib. IV. decade I.: *Vulturnum Etruscorum Urbem, quae nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque ab Duce eorum Capi, vel, quod propius vero est, a Campestri agro appellatam*; Servius demum in Aeneid. X.: *Capuam constat a Thuscis conditam de viso Falconis augurio, qui Thusca Lingua Capis dicitur, unde est Capua nominata.* Inanis propterea est nominis quaestio, an haec Vasa Campana ne, an Thusca nuncupemus, cum Campanos Thuscorum partem fuisse, resciamus.

Est praeterea alia ratio, quae nuncupationem nostram tueatur; Subscribo enim doctissimo Maffejo, qui Ita-

lica omnia monumenta, quae aetatem Romanam antecellunt, Etrusca nominanda censuit a Natione illa, quae auctoritate, opibus, & belli fortuna Italiam fere totam obtinebat. Diodor. Sicul. lib. V.: Οὗτι γὰρ τὸ μὲν παλαιὸν ἀνδρείᾳ διενέγκαντες, χώραν πολλὴν κατεκτήσαντο, καὶ πόλεις ἀξιολόγους, καὶ πολλὰς ἔκτισαν. *Hi* (Tyrrheni) *quondam fortitudine praecellentes magnum terrae tractum occuparunt, urbesque multas, & celebres condiderunt*; Et Liv. lib. I.: *Tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiae longitudinem ab Alpibus ad Fretum Siculum fama nominis sui implesset*. Et Philargyrius Grammaticus ad II. Georgic. ver. 534.: *Maximum enim Imperium Etruscorum in Italia fuit, ut ait Livius, ab Alpibus usque ad Fretum Siculum, unde totum mare, quod a dextera Italici litoris est, Thuscum dicitur*. His igitur validissimis testimoniis Vasa omnia quaecumque a Campanis elaborata fuissent, inter Etrusca adnumerare non dubitamus; praesertim cum tantae antiquitatis esse cognoscamus, ut longe excedant Romanae magnitudinis tempora; Cui conjecturae haud spernendum testimonium nobis suppeditat Suetonius in Vita D. Julii cap. 81. manifeste asserens, ea aetate Vasa hujuscemodi e sepulcris erui consuevisse, magnoque in pretio haberi: *Cum in Colonia Capua deducti Lege Julia Coloni ad extruendas villas sepulcra vetustissima disiicerent, idemque eo studiosius facerent, quod aliquantum Vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula aenea inventa est*. Occurrit alterum argumentum antiquitatis, quod nempe ipsis Bacchanalia, prout ab hominibus, feminisque celebrari solebant, picta videantur. Oportet ergo, haec Vasa anteriora esse anno urbis 568., quo ex S. C. non modo Romae, sed in tota Italia interdicta sunt, ut ait Livius lib. XXXIX., ex quo per multam aetatem interdicto illorum usu, credibile est etiam, pingi desiisse. Non omnia tamen, quae hanc seriem nostram exornant, ejusdem antiquitatis sunt, cum Thuscorum ingenium artem hanc in vitae usum, donec ipsa floruit, diligenter frequentarit. Hinc mira illa, & multiplex stili diversitas, quae diversas pariter officinas, & studii perfectionem, veluti per gradus, ostendit.

Restat, ut suspecta quaedam hujus operis Vascula, quae vulgo circumferuntur, adtingamus. Haec in duas Classes ordinarem; Prima complectitur Vasa quaedam fictitia, ita ad modulum antiquorum, & juxta genium Etruscorum depicta, ut si de illis eminus judicandum sit ex imaginibus calamo exceptis, minime a veris

veris diſtinguantur. Ii vero, qui prototypos coram contemplati fuerint, ſi modo in antiquitatibus verſati ſint, de illorum ſinceritate judicabunt. Pondus praecipue Vaſis, & colorum ſplendor, qui in antiquis omnino expalleſcit, & ſtudioſa quaedam, atque affectata diligentia, qua antiqui figuli caruerunt, novitatem prodit. Altera Claſſis complectitur Picturas quaſdam ita a veterum genio diformes, ut vel ex ipſis delineatis ectypis ſtatim cum ſtomacho rejicias. Sunt in his violentae quaedam actuum expreſſiones, & corporis motus, quas in ſinceris monumentis non videas. Cultus veſtium comentitii, & ex ingenio adinventi, ornamenta, ſymbola, parerga toti antiquitati incognita, praeſertim Etruſcae, actiones praeterea, quae non caeremonias, non fabulas, nihil denique exprimunt, ut a circulatoribus, & inconditis ludionibus oſcitanter adinventa videantur. Horum Vaſorum fides ſit apud illorum poſſeſſores: Nos certe multa ex his ab hac ſerie eliminavimus, ut antiquitatum ſtudioſi inanibus hiſce jocis ingenium non defatigent, & ſcientia antiquitatis perturbetur. Cui quidem calamitati praeſentiſſimum remedium haec noſtra collectio adlatura eſt, cum enim ex inviolabilibus Procerum oculatiſſimorum Muſeis, Vaticano praeſertim, Caeſareo, & Mediceo indubitatae fidei monumenta deprompſerimus, aſſueſcet hinc eruditorum oculus Etruriae genuinae, ut haec perditorum hominum monſtroſa commenta vel primo obtutu iidem damnent, & ſimul exſibilent.

Quod reliquum eſt, nunc oportet, ut Viros eruditae antiquitatis ſtudioſos moneamus, ut, quod illi facili negocio praeſtare poterunt, hujuſmodi Vaſa, quae in diem e terrae latebris prodeunt, adhibito diligenti Pictore, coram delineari curent, exceptaque exemplaria nobiſcum communicent, antequam alio comportata, Italiae noſtrae penitus intereant, aut omnino eſſe deſinant. Omnium vero maxime in hoc negocio excitatos volumus Academiae noſtrae Cortonenſis Sodales, quibus ſuperiore quodam conſilio communis Nationis exornandae cura vehementer commiſſa eſt. Nec illos modo in auxilium ſtudii hujus excitamus, quin & propagatores eſſe optamus, atque arbitros maxime idoneos, ut ſi quid erratum, jure ſuo corrigant, ſi quid vero minus infeliciter praeſtitum eſt, exemplis ſuis acceptum referant, atque amplius perficiant, ut quadam conſpiratione animorum videamur in patriam noſtram exornandam non inanem ſollicitudinem impendiſſe.

DE LARIBUS ETRUSCORUM *DISSERTATIO.*

ARGUMENTA CAPITUM.

DE LARIBUS ETRUSCORUM
DISSERTATIO.

I.

CUM diuturna ſpeculatione in haſce Etruſcas Picturas animadverterim, Deos aliquos ſaepe occurrere, quorum officium, & ſymbola reſpondebant his, quae de Laribus antiqui tradiderunt, non dubitavi illos proprio nomine nuncupare, atque ea omnia, quae ad ipſos ſpectant, ingenue illis adtribuere. Sed quia nonnulla, quae in illorum imaginibus occurrebant, aliquantum a traditione Romanorum deflectere videbantur, quod neſcio, an ſilentio Scriptorum imputandum ſit, qui parce admodum de his loquuti ſunt, an Pictorum veterum licentiae, qui profuſiores in lineamentis exſtiterunt, & multo plura, quam quod ſcriptum ſit, depinxerunt, operae pretium duxi, ſi integra Tractatione de illis agerem, & imagines conferendo cum veterum teſtimoniis, ea notarem, quae minus cognita, & vix ſuſpicionibus tacta ex hiſce emblematibus colliguntur.

II.

Larium nomen Graeci ignorarunt, non tamen officium, nam etiam apud ipſos fuere Ἐφέστιοι Θεοὶ, & Δαίμονες Laribus fere reſpondentes. Quapropter extremam eam vocem non alio Latino vocabulo reddendam putavit Cicero, quam *Larium*. Sic ille in Frag. de Univerſitate: *Deos, quos Graeci* Δαίμονας *appellant, noſtri, opinor, Lares, ſi modo hoc recte converſum videri poteſt*. Nec multum in hac re defero Arnobio, Viro alioquin doctiſſimo, qui eos ſic dictos putat, quod Graeci λαύρας vicos appellent, & latas vias, quarum cuſtodiae praepoſiti erant, ſi enim illis id nomen indidiſſent a λαύρα, utique Lares cognoviſſent, illoſque ante Italos hoc nomine nuncupaſſent. Praeterea illorum potior cura erat circa domorum cuſtodiam, quam nonniſi in ſummis periculis Civitatis tranſgrediebantur, ut, facta ſimul conſpiratione, Viales eſſent, & Urbium cuſtodes, & ſi qui, ut infra dicemus, vagi eſſent, & inconſtantes, natura tamen, ut opinabantur, a domeſticis non differebant.

Demum

Demum ſi a λαύρα dicti eſſent, attenta proprietate ſermonis, non Lares, ſed Laurii dicti fuiſſent. Minus audio eos, qui putant, illorum nomen inde proceſſiſſe, unde Ἄρης Mars, nam & hujus origo ſatis obſcura eſt, & officium repugnat. Nec a Latinis id nomen expetendum eſt, quibus ea vox nihil ſonat, aut ſi qua eſt, a Diis Laribus proceſſiſſe, conſtat. Aſt illam e fonte vetuſtiore promanaſſe, puto, & ab Oriente translatam, unde Coloniae in Graeciam primum, inde in Italiam deſcenderunt. Et revera vox ARTES Perſis antiquiſſimis, ceteriſque Orientalibus in uſu fuit, qua Heroas, defunctos nempe, qui ob res praeclare geſtas claruiſſent, denotabant. Sic Stephanus in ΑΡΤΑΙΑ: *Artaeos vocant Perſae homines priſcos*; & Heſychius in ΑΡΤΑΙΟΙ: Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις. *Artaei Heroes apud Perſas*. Hinc factum eſt, ut pene totus Oriens honoris gratia titulum hunc praepoſuerit nominibus Principum, ipſis adhuc in humanis agentibus, ſeu, quod magis verum puto, illis vita functis, quemadmodum Romani dixere Divum Julium, Divum Auguſtum. Sic ubique occurrunt in hiſtoriis nomina Artabani, Artabari, Artabati, Artachaees, ſive Artacis, Artayctis, Artaxerxis, Artageſis, Artambani, Artaphernis, & his ſimilia. Illorum exempla ſequuti, ut opinor, Etruſci noſtri, qui ad ea tempora de proximo accedebant, honoris gratia mortuos ſuos hoc titulo decorarunt, & addita per proſtheſin litterula, *Lartes* nuncuparunt, & boni ominis ergo praenomen inde effecerunt, ut ubi primum de Etruſcis mentio occurrat apud Hiſtoricos, continuo Lartem Porſenam, & Lartem Tolumnium, & Lartem Herminium, alioſque memoratos videamus. A Thuſcis ad Romanos in utroque ſenſu ea vox migravit; ſed ut aliquo diſcrimine utramque notionem diſtinguerent, inſtituere, ut praenomen *Lar Lartis* inflecteretur, Deus vero *Lar Laris*. At contra Etruſcis unica deſinentia & praenomen, & Deum notabat. Quod quidem multiplici obſervatione collegimus ex illorum ſepulcralibus titulis, quos, ut Romani Diis Manibus mortuorum dedicabant, Etruſci Deo *Larti* cujuſcumque defuncti; Et ne Deum cum praenomine confundamus, monent exempla per nos in Roncallienſibus adducta, in quibus poſt dedicationem Deo *Larti* factam ſubſequitur aliquando praenomen, & nomen ſepulti. Sed Etruſcis per ⊙ ſcribitur, ut attenta illorum pronunciatione, *Larthi* interjecta adſpiratione, proferendum ſit.

III.

III.

Lares igitur apud antiquos nihil profecto erant, nisi piorum animae, quae corpore functae familiam suam, & posteros tuebantur, qua de re impensissime per singulas domos colebantur, tantaque religione, ut ab ipsis Laribus per quoddam translatum ipse aedes vocatae sint. Hujusmodi cultus originem sic recenset Serv. in Aeneid. VI. v. 152.: *Apud majores, ut supra diximus, omnes in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus*. Ecce jam Lares mortuorum animae sunt, quas sicuti circum corpora versari credebant, ita domi suae habitare reputabant. Quam quidem sententiam auctoritate Apuleii confirmatam uberius expressit in Lib. III. v. 63.: *Manes enim dicuntur melioris meriti, qui in corpore nostro Genii dicuntur. Corpori renunciantes Lemures, cum domos incursionibus infestarent, Laruae appellabantur. Contra si aequi, & faventes essent, Lares familiares*. Opitulatur huic sententiae Festus in *Laneae*: *Laneae effigies in compitalibus noctu dabantur in compita, quod Lares, quod is erat dies festus, animae putabantur esse hominum, redactae in numerum Deorum*. Et D. Augustinus de Civ. Dei lib. IX. cap. 11. ex scriptis Plotini Philosophi haec de Laribus tradit: *Dicit quidem, animas hominum daemones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sint; Lemures, seu Larvas, si mali. Manes autem Deos dici, cum incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorum*. Hoc vero satis dilucido exemplo Alexandri Severi Imperatoris comprobatur, qui inter Lares suos nonnisi clarorum Virorum imagines venerabatur, teste Lampridio in ejus vita cap. 29.: *Matutinis horis in Larario suo, in quo & Divos Principes, & optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, & Christum, Abraham, Orphaeum, & hujuscemodi Deos habebat, & majorum effigies, rem divinam faciebat*; & cap. 31.: *Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum vero M. inter Divos, & optimos in Larario majore dedicavit*. Sed Larium naturam nemo melius prodet, quam quod ipsemet Lar, qui in Aulularie Prologo sic de se loquitur v. 2.:

Ego Lar sum familiaris ex hac familia;

& paulo post se patrem vocat:

Compressam autem Pater
Jam ego hodie faciam, ut hic senex de proximo
Sibi Uxorem poscat.

At pugnat contra hanc sententiam auctoritas Arnobii, qui circa finem lib. III. haec de illis tradit: *Possumus, si vi-*

si videtur, summatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum, atque itinerum Deos esse ex eo, quod Graeci vicos cognominant Lauras. In diversis Nigidius scriptis modo tectorum, domuumque custodes, modo Curetas illos, qui occultasse se perhibentur Jovis aeribus aliquando vagitum, Indigetes Samothracios, quos quinque indicant Graeci Idaeos Dactylos nuncupari. Varro similiter haesitans, nunc esse illos Manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum, nunc aerios rursus Deos, & Heroas pronunciat appellari, nunc antiquorum sententias sequens, Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam Genios defunctorum animis mortuorum. Huc usque Arnobius. Hyginus quoque fab. 149. Curetum, seu Corybantum fabulam referens haec subdit: *Hi autem* Lares *appellantur*, in quem locum recens Scholiastes testimonium cumulat Statiani, cujus haec verba sunt: *Quia Curetes latine Lares familiares appellantur*; rursusque alterum Diomedis ex initio lib. III., qui de Laribus disserens ait: *Hos quidem tres putant, qui Lares esse creduntur, Damnamanaeus, Aemon, Celmon.* At nihil repugnant priori haec sententiae, nam si duplicem Orphaei Hymnum in Salios adeamus, facile observabimus illorum descriptionem admussim convenire cum Larium officio, atque natura; nam vagos spiritus esse refert, qui hominum nacti custodiam illos impigre tueantur; & quamquam ibi illorum origo animalis reticeatur, quae arcani Scriptoris indoles est, illam tamen posteriorum Scriptorum auctoritate, qui minus suspiciosi liberius scripserunt, adsequimur; & revera ipse Arnobius ostendit, in utramque sententiam veteres fluctuasse, quae facile una, eademque erat sub diversis nominum ambagibus, atque involucris obumbrata.

I V.

Hanc vero superstitionem persaepe admiratus tria in illa vidi, quae e veterum Patrum traditione male detorta in inanem cultum abjerunt; Fidem nempe de immortalitate animarum; retributionem bonorum operum illis imminentem, aut poenam; demum quaedam defunctorum animabus praestanda esse, quae humanitatis maculas in illis expurgarent, redderentque propitios. Qui contra sentirent, ipso Ethnicorum judicio impii censebantur. Audiamus Platonem in Phoedone illos ita revincentem, dum Cebetem animadvertere jubet, τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ, ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν, *videlicet ipsi divino, & immortali, & intelligibili, & uniformi, & indissolubili, semper eodem modo, & secundum eadem seipsum habenti animam esse simillimam.*

mam. Hoc etiam illius & Pythagorae auctoritate firmat Plutarchus de Plac. Philos. lib. IV. cap. 7.: Πυθάγορας, Πλάτων, ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχήν, *Pythagoras, & Plato interitus expertem animam* (ajunt), quem locum inlustrat, & multis declarat Vir in sacris, & humanis Litteris apprime eruditus Odoardus Corsinius. Hanc eamdem sententiam ubique profitetur Cicero, praesertim in aureo de Republica fragmento, ubi somnium Scipionis recenset, in quo de retributione bonorum operum post mortem animabus destinata multa praeclare praedicavit, praesertim illud: *Omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo, ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur.... Justitiam cole, ac pietatem, & ea vita via est in caelum, & in hunc caetum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides*; & alibi: *Siquidem aut Dii ipsi, aut cum Diis futuri sumus*. Et idem Plato in Cratylo: Ὡς ἐπειδάν τις ἀγαθὸς ὢν τελευτήσῃ, μεγάλην μοῖραν, καὶ τιμὴν ἔχει, καὶ γίνεται δαίμων. *Postea quam quis probus excessit e vita, magnam sortem, honoremque adsequitur, & fit Daemon*. Demum laudabile esse pro defunctis exorare, veluti ab antiquissima traditione perenniter deductum, probant, licet in superstitionem abeuntes, caeremoniae, quas ipsi Ethnici in funeribus adhibuere, quae omnes ad divinitatem animabus conferendam dirigebantur. Quin etiam habuere Sacra quaedam ad id, ut credebant, potentissima, ut refert Servius in III. Aeneid: *Labeo in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis est, ait esse quaedam Sacra, quibus animae humanae vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de anima fiant. Hi autem sunt Dii Penates, & Viales*. Et manifestius apud Arnob. lib. II.: *Neque illud obrepat.... quod Magi spondent commendatitias habere se preces, quibus emollitae, nescio quae Potestates, vias faciles praebeant ad caelum contendentibus se volare, neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine Numinibus certis dato divinas animas fieri, & a legibus mortalitatis educi. Blandimenta haec cassa sunt, & inanium fomenta votorum*. Quas quidem superstitiones merito deridet in Idolorum cultoribus; si vero illarum primaevam, puramque originem longo regressu adeamus, perspicuum fiet, antiquissimam esse traditionem mortuorum animas precibus, & sacris juvandas esse, ut levioribus maculis purgatae in caelum adtollantur; Quae quidem opinio sensim corrumpta ex parentum animabus Deos Lares, fa-

miliarum custodes, & civitatum defensores ubique efformavit, quod etiam ex Philoxeni Glossis colligitur, ubi haec habentur: *Lares Dii familiares, Heroes familiares, Patrii, Dii domestici*.

V.

Huic tamen de Laribus opinioni adversantur ea, quae de Laribus Publicis circumferuntur, eos nempe non ex hominibus factos esse, sed Mercurii, & Deae Mutae filios haberi. Fabulam narrat Ovid. Fast. II., quo in loco tradit, Lalam Almone Fluvio genitam Jovis, & Juturnae amores Junoni revelasse, qua de re subiratum Jovem illam linguae abscissione mulctatam ad inferos deduci Mercurio imperasse, at custodem illam compressisse, quo ex congressu

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in urbe Lares.

Hinc Dea Muta appellata est & Lara, aut Larunda, vel Mania; Inde sequitur, Lares Publicos longe diversae naturae fuisse a privatis. At duo sunt, quibus tuear priorem sententiam adversus fabulam Ovidianam. Primum quidem, quod ea novitatem sapiat, & in gratiam Romanorum tarde admodum confictam, ut fons, & rivus Urbi propinqus, ceteroquin ignobilis commento aliquo inlustraretur, quamquam cultus Larium & privatorum, & publicorum apud Etruscos, atque Sabinos longe ante Urbem conditam invaluisset, tum & Juturna, & Almo nullius nominis essent, quod luculenter infra demonstrabimus, ubi de Dea Lara agendum erit. Alterum denique, quod ea fabula mythologice intelligenda sit; cum enim Mercurius deductor animarum haberetur, qui ex inferis in superos animas eveheret, quodammodo parens Larium dictus est, quod illos per ineffabiles quasdam vias ex inferis susciperet, & Deos faceret; Deam vero Mutam illorum Matrem commenti sunt, ex quo Animae adscitae in Deos sine ullo loquelae usu officium suum hominibus impertiantur. Ceterum constans opinio fuit, & Lares publicos, & privatos officio tantum discrepantes ex hominibus factos fuisse. Quod ne meo periculo afferam, auctoritate Servii in veteri Mythologia consultissimi aperte comprobatur; Sic enim inlustrat Virgilii locum in III. Aeneid. v. 302.:

Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabant cineri Andromachae, manesque vocabant
Nectoreum ad tumulum.

Lucum numquam ponit sine religione, nam in ipsis habitant Manes piorum, qui Lares Viales sunt. In hac eadem senten-

ſententia fuit doctiſſimus Voſſius, qui lib. I. cap. xi. de Idolol. in fine ſic de illis loquitur: *Nam ſi ſingulis ſuis familiis cuſtodes* (Lares privatos) *jure exiſtimatum, junctim Urbi praeſidere, quod clare his tribuit Ovid. Faſt. V. Hinc Propertius lib. III. Eleg. 2. ait, eos Hannibalem fugaſſe ab Urbe. Immo Feſtus, ſeu Paullus ſcribit, Hoſtiliis Laribus immolatum, quod ab his hoſtes arceri putarent*. Servius vero loco ſupra memorato eos Viales appellatos credit, qui certas ſedes non haberent, aut domos ſibi praecipuas, quapropter in communibus Lucis habitarent, & recurſum habet ad illud Virg. in VI. Aeneid.:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,

& in V.:

tumuloque Sacerdos,
Et lucus late ſacer additur Anchiſeo.

Hinc Larium Luci ſacri apud veteres ſaepiſſime memorati. Varro de L. L. IV. 8.: *Item Lucus Larum, & querquetulanum Sacellum*. Et Cicero de Leg. proſpiciens, ne Lares, quibus nulla ſubeſſet domus, incerti vagarentur, haec praeſcribit: *Lucos in agris habento, & ſedes Larium*. Subeſt etiam luculentiſſimum argumentum, quo comprobetur, Lares domeſticos nil diſcrepaſſe a publicis, quos in compitis colebant, ait enim Plin. lib. XXXVI. cap. 27., Servium Tullum, quod a Lare familiari genitus putaretur, in honorem Larium Compitalia inſtituiſſe: *Creditumque Laris familiaris filium, & ob id Compitalia, & Ludos primum Laribus inſtituiſſe*; de qua inſtitutione meminit etiam Dionyſ. Halic. lib. IV. Demum ipſe Ovidius Lares publicos, privatoſque in unum confundit Faſt. lib. II.:

Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant;
Et vigilant noſtra ſemper in urbe Lares;

Quem locum etiam paullo ante uſurpavimus.

VI.

Quae hactenus de Laribus dicta ſunt, facile probant, nullam eos matrem habere potuiſſe, niſi quam per aſtruſas quaſdam ſignificationes Mythici ſibi confinxiſſent. At contra video, communi veterum Scriptorum conſenſu Laram Deam celebrari. Varro de Ling. Lat. lib. IV.: *Paullo aliter ab eiſdem Sabineis dicimus Laram, Veſtam, Salutem, Fortem, Fortunam, Fidem; hac de re Sabinorum linguam olent, quae Tatii Regis voto ſunt Romae dedicata*. Idem Scriptor paullo infra *Larundam* eam vocat, inflexione, ut opinor, Sabina, quemadmodum a partu dicta eſt *Partunda* & ipſa Dea, cujus meminit Auguſtinus,

nus, & a foetu *foecunda*, a joco *jucunda*. Laram rurſus deridet Lactant. Firm. de Falſ. Rel. lib. I. per haec verba: *Quis, cum audiat Deam Mutam, tenere riſum queat? Hanc eſſe dicunt, ex qua nati ſunt Lares, & ipſam Laram nominant, vel Larundam*. Atqui cum Picturas Etruſcorum intenſius obſervaverim, viderimque cum Laribus modo binis, modo ternis totidem Deas conjunctas eſſe, & illis plerumque reſpondere, in ſuſpicionem incidi, non unam fuiſſe Laram, ſed totidem, quot Lares, atque eatenus ſingulari numero a Scriptoribus proferri, quemadmodum Larem familiarem dicere conſueverunt. Duo vero potiſſime in hac ſuſpicione me confirmabant; Primum quidem, quod cum Lares ex animabus virorum formarentur, cur non identidem ex mulieribus? Illae enim ſaepiſſime & pietate, & juſtitia, ſimulque prudentia in rebus graviter gerendis, & familia gubernanda viris praeſtant. Putabimus igitur, vel toto ſexu muliebri ſuffragante, & vehementer condolente, nullam de earum animabus rationem fuiſſe habitam, ut dum Manes virorum divinos ſibi honores adrogabant, earum animas deſides in inferorum Gynecaeo ignotum omnibus aevum ducere coactas in partem honoris adſcendiſſe. Itaque ratione adducor, ut credam, Laras Laribus ideo conjunctas eſſe in Etruſcorum Picturis, quia crederent, ex utroque ſexu fieri Lares, ut viri, & feminae haberent ſibi ſimiles, quos colerent. Alterum eſt, quod antiqui, qui nimis carnaliter de Diis ſuis ſentiebant, abſurdum putarent, Deos ſingulares in quodam moerore caelibatus vitam ſempiternam tranſigere. In quo quidem errore Etruſci potiſſimum fuere, qui fere ſemper cum Deos circa Lararia tripudiantes efformarunt, non ſine monito religionis pares eſſe voluerunt Deos, Deaſque ejuſdem poteſtatis. Hinc Deus Mars, & Dea Martea, Liber, & Dea Libera, Ganymedes, & Ganymeda, Ianus, & Dea Iana, aliique plurimi, qui in ipſa veterum taciturnitate ſeſe prodiderunt, ut ex his conjicere valeamus, Diis ceteris, qui ſilentio Scriptorum comprimuntur, feminas pares fuiſſe conjunctas. De hoc tamen videnda, quae expoſuimus in Notis ad Lucernas lib. I.

VII.

Haec breviter de Larium natura praemittenda erant, ut viam nobis ſterneremus ad illorum imagines diſcernendas, quae vario cultu, & ſymbolis ornatae numquam ſibi conſtant, quae quidem differentia antiquis rerum gnaris nullum faceſſebat negocium, nos vero in ſumma rerum caligi-

ligine occupatos mire torquet. Quod unum ex diuturna monumentorum illius Nationis verſatione colligere licuit, illud profecto eſt, conſueviſſe Etruſcos pro diverſitate negocii, in quo Lares intermiſcebantur, illorum adparatum variare. Aliquando enim, ut ſupra notavimus, nudi ſunt, palliolo ad ornatum alteri brachio injecto, juncto ſymbolo, cujus indicio illos agnoſcamus: Saepe paganico more induti ſunt, haud diſſimili a communi virorum, quibuſcum verſantur: Aliquando habitu, & cultu viatorio inſtructi adparent: Demum militari, quae quidem diſcrimina ſequentibus Capitulis ſingillatim proſequemur. Omnium igitur ſimpliciſſimus eorum cultus ex linteolo conſtat negligenter ex altero e brachiis dejecto, in quo nullam partem habuit Mythologia, ſed Picturae lepor operi conciliang ex ſimplicitate majeſtatem. Symbola hujuſmodi ſunt liba manibus adjecta, quae licet etiam ceteris Diis convenirent, peculiari tamen jure ea ſibi Lar vindicabat, nam non alio ritu Compitalia Laribus ſacra celebrabantur, quam πελάνους εἰσφερούσης ἑκάστης οἰκίας, *ſingulis familiis Liba conferentibus*, ut refert Dionyſ. Halic. lib. IV. §. 14. ſubdens, haec feſta menſe Decembri ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων; *paucis poſt Saturnalia diebus* conſueviſſe celebrari. Coronae praeterea, flores, & ſerta, iterumque & uvae racemi Laribus tribuebantur, quapropter ipſe Lar in Prol. Aululariae puellam in ſe officioſam ita laudat:

Dat mihi coronas,

& ibid. Act. II. 8.:

Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas;
Haec imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias;

& Cato de R. R. cap. 5.: *Coronam in forum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* Et Tibul. II. 1.:

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

Rurſuſque de uvae racemis idem Tibull. I. 2. de proprio Lare:

Hic contentus erat, ſeu quis libaverit uvam;

In cujus rei teſtimonium ſaepiſſime racemi ex Larariis pendent, & ipſi Lari in manibus conlocantur. Corona myrtea, & ex rore marino omnium tenuiſſima aliquando in hiſce Tabulis Larem prodit. Horat. Od. III. 23.:

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto;

& Juvenal Satyr. IX. 137.:

O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto,

Aut

Aut farre, aut tenui ſoleo exornare corona.

Patella quoque in manibus Larium conlocari ſolebat a Pictoribus Thuſcis ad caeremoniam illam deſignandam, qua quotidie ex cibis adparatis tantillum Lari in diſco offerebant igne comburendum; unde Perſ. Satyr. III.:

cultrixque foci ſecura patella;

ubi vetus Scholiaſtes: *Cultrix foci, quia in ea delibandae dapes poſitae ad focum feruntur*; & Varro de L. L. lib. IV.: *Quapropter bonum civem legibus parere* (oportet) *Deos colere, & in patellam dare* μικρὸν κρέας. Ovidius quoque Faſt. lib. II. 636. meminit hujus obſervationis dicens:

Nutriat incinctos miſſa patella Lares.

Bulla quoque Larem denotat, cui, ſumpta virili toga, a pueris reſignari ſolebat, ſed hanc frequentius Dea Lara Lari juncta ſibi uſurpat, uti quae matrifamilias, ad quam haec caeremonia pertinebat, familiarior, & conſuetudine magis devincta eſſet. Sed de hoc alibi. Omnium vero praecipuum, atque proprium geſtamen Larium familiae praeſidum, ac in noſtris Picturis frequentiſſimum eſt nodoſus fuſtis, ſeu clava exilior, qua in illos animadverterent, qui familiam ſibi creditam exturbarent, & furtis inquietare tentaſſent. Idipſum officium Latini per canes expreſſerunt. Ovid. Faſt. V.:

At canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat, quae ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Dianiа fures,
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes;

& Plutarch. in Quaeſt. Roman. LI.: Διὰ τί τῶν Λαρητῶν οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ Πραιστῖται μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας, οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν ἀλλοτρίοις, ὥσπερ ὁ κὺων ἐστὶν, ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν; *Cur Laribus, quos praeſtites propie vocant, canis praeficitur, ipſi autem caninis pellibus amiciuntur? An praeſtites ſunt, qui praeſunt, ideoque cuſtodiam domus eis curae, alieniſque terrori eos eſſe par eſt, domeſticis manſuetos, qualis eſt canum natura?* Ceterum Picturae Etruſcorum nec canem jungunt Laribus, nec eos, niſi raro, caninis pellibus amiciunt. Huiuſmodi tamen occurrunt frequentius in aereis ejus Nationis Sigillis; atque in cinerariis, uti aliquando exemplis probavimus. Sed alia fuit mens, & ſtilus

ſtilus ſculptorum, qui religioni ſerviebant, alia vero Pictorum, qui ad excolendas haſce domorum lautitias ingenio habenas laxarunt; id unum ſibi conſtituentes, ut placerent. Denique inter Larium praecipua donaria, quibus eos dignoſcamus, ſunt marinae quaedam ex ſubtiliſſimis radicibus compactae Pilae, quae in littore Piſaurenſi aliquando colliguntur, ex quibus nonnullas habeo in rerum naturalium Muſeo; in mari vero Tyrrheno obviae ſunt, quae religione quadam Laribus ſacrae erant, & ſuſpendebantur, quod ex hiſce Picturis frequenter adparet. De illarum uſu haec habentur apud Nonium in *Strophium*: *Suſpendit Laribus marinas molles pilas, & reticula, & ſtrophia*. Haec religio avertendorum malorum cauſſa introducta fuit; nam aliquando Lares ſubiratos pertimeſcebant, praecipuae cum Compitalibus diebus vagari per urbem, & quodammodo debacchari crederentur; Putabant enim, Lares eos eſſe, quos deſcribit Plutarch. loc. cit.: Λάρητες ἐριννυώδεις τινὲς εἰσι, καὶ ποίνιμοι δαίμονες, ἐπίσκοποι βίων, καὶ οἴκων. *Lares genii quidam ſunt diri, ac furiarum naturae affines ad puniendum facti, qui in vitas, & familias hominum inſpiciant*. Ubi ergo illorum ira timeretur, praeſertim feſto Compitali Pilae quaedam ex lana, & imaguncula viriles prae foribus ſuſpendebantur, in quas incidentes Lares furorem ſuum in haec ludrica converterent, & ab hominibus abſtinerent. Sic Feſtus in ſuperſtitibus ſchedis: *Pilae, & viriles, & muliebres effigies in compitis ſuſpendebantur in Compitalibus ex lana, quod eſſe Deorum Inferorum hunc diem feſtum, quos vocant Lares, putarent, quibus eo die tot pilae, quot eſſent capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi ponebantur, ut vivis, ſic enim invocantur, parcerent, & eſſent his pilis, & ſimulacris contenti*. A qua quidem ſuperſtitione derivatum puto, ut pro laneis globulis Pilae marinae, quae idem officium praeſtarerent, ſubſtituerentur, cum hae prae tenuitate filamentorum lanam imitentur, nulloque ſumptu compararentur. Demum in Deorum, Dearumque manibus lances onuſti pomulis, fortaſſe capitibus alii, & papaveribus Lares indicant. Rationem reddit Macrob. Satur. lib. I. cap. 7., ait enim, Tarquinio Superbo imperante, in Compitalibus introductum fuiſſe omnium dirum ſacrificium, *ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniae Deae matri Larium, quod ſacrificii genus Junius Brutus Conſul, Tarquinio pulſo, aliter conſtituit celebrandum, nam capitibus alii, & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum*, remo-

remoto ſcilicet ſcelere infauſtae ſacrificationis. Haec ſuperſtitio adeo hominum animos invaſit, ut in quibuſdam Italiae regionibus adhuc perſiſtat; nam oblitterata etiam Larium memoria, illique ſubſtituta non minus futili Strigum opinione, aliorum capita diligentiſſime repoſita in ſtabulis, & bubilibus cuſtodiantur, nec niſi novis repoſitis vetera abjiciantur, ne Lamiae animalibus noceant. Id nuper cum riſu obſervavi in Aemilia inferiore, dum eam Provinciam loco Eminentiſſimi Cardinalis Legati Ferrariae cum poteſtate luſtrarem. Et revera apud Ruſticos mordicus obſervantur inanes quaedam traditiones ab antiquiſſimis uſque temporibus deductae, quas nulla ratione ab eorum animis evellas.

Putabant etiam antiqui alia maxime proficere ad criminum expiationem, unde Perſ. Sat. V. 186.:

> *Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca Sacerdos*
> *Incuſſere Deos inflantes corpora, ſi non*
> *Praedictum ter mane caput guſtaveris alli.*

Haec dicta ſint ad intelligentiam harumce Picturarum, in quibus lances pomulis onuſti Laribus frequentiſſime offeruntur, & ad dignoſcendos Lares a ceteris Diis; quamquam in re obſcuriſſima, & adhuc ignota non adeo fidendum ſit minutis hiſce obſervationibus, quominus allucinari ſaepe nos contingat. Ex Cortina non loquimur, ſed ingenue profitemur, eo direxiſſe ſtudium hoc noſtrum, ut, indicatis difficultatibus, tutiora ceteri inveniant.

VIII.

Adparent quandoque Lares praetextati, quae veſtis convenientiſſime aptabatur Diis animalibus, qui aliquando omnium conſenſu homines exſtitiſſent. Nihil igitur novi illis addebatur, ſi indumento ſibi olim uſitato adhuc velarentur. Et revera Larium, praeſertim Etruſcorum Sigilla ubique obvia hujuſmodi togula eos ornatos exhibent. Ita ad rem antiquus Perſii Scholiaſtes in illud Satir. V.: *Bullaque ſuccinctis* &c. *Habebant veſtem, quae canina pellis erat inſtar peregrinantium alte cinctam, & in humerum ſiniſtrum reductam, atque obvolutam*. Sed locus iſte vel depravatus eſt, vel interpolatus; alia enim eſt pellis canina a veſte in humerum ſiniſtrum reducta, nam corium caninum caput tantum, & terga contegebat, nec in brachia reduci poterat. Suppetunt exempla in Muſ. Etruſc. lib. I. tab. 78., & 108., & alibi ſaepius, ac in Sigillis Muſei noſtri, quibus addendae Larium effigies hoc cultu inſtructae in Cinerariis ejuſdem Nationis apud Dempſterium,

psterium, & Cl. Gorium. Contra velamentum in humerum sinistrum reductum non ex corio constat, sed panno in praetextae morem obvoluto, ut clare ostendunt Larium imagines apud eumdem Gorium loco citato Tab. II., XXXIV., & alibi saepe, & illae praesertim, quas in Museo nostro adservamus. Rursus vestis peregrinantium, quam cum utraque confundit Scholiastes, ut infra videbimus, palliolum erat utrumque humerum tegens, & inde aequa lege diffluens, in medio pectoris fibula constrictum. Quapropter antiqui Scriptoris locum ita suppleo: *Habebant vestem, quae canina pellis erat*; *alteram ad instar peregrinantium alte cinctam cum pallio, alteram demum in sinistrum humerum reductam*. Magis vero dilucide eum Persii locum inlustrat Probus Grammaticus per haec verba: *Laribus, quia gabino habitu, cynomia, hoc est canina pelle Dei Penates formabantur, obvoluti toga supra humerum sinistrum, & sub dextero*; Et sic triplicem vestitum longe diversum distinguit, cinctum Gabinum, qui a toga communi diversus erat, cynomiam, demum & togam. Rem exemplis magis, quam rationibus comprobabimus; nam pro diverso Larium officio triplici hoc modo vestitos illos intuebimur. Adeo vero conveniebat Laribus toga praetexta, ut Vicorum Magistri, qui Compitalia curabant, hoc insigni decorarentur, quod ex geminata Asconii in Cicer. contra Pisonem, & Livii lib. XXXIV. 7. auctoritate demonstratur. Sic primus: *Compitalia longo temporum tractu per Vicorum Magistros curata, tandem etiam pene aboleta renovavit L. Piso*. Haec vero postremus: *Magistris Vicorum praetextae habendae jus permittimus, nec ut id vivi solum habeant tantum insigne, sed ut & crementur*. Quia vero praetexta Magistratuum gestamen erat, ad Deos consuevit transferri. Ita prorsus ornatum erat Clitumni simulacrum a Plinio observatum in prisco, & religioso ejus templo, ut ait lib. VIII. ep. 8.: *Stat Clitumnus ipse amictus, ornatusque praetexta*; Nec longe aberat imago marmorea, quae Genium fontis repraesentabat proximis annis in Agro Tuderte defossa, quam diligenter delineatam mecum communicavit Cl. Jovannellius, & in libris Antiquitatum Tudertium inserui. Hoc vero gestamen praetextae cum ab Etruscis acceptum referrent Romani, ut tradit Strabo lib. V., mirum non est, si in illorum simulacris religione consecratis tam frequenter observetur. Hujusmodi vero Larium depictae imagines difficilius discernuntur; quin potius cum humanis non confundantur. Discrimen

faciunt

faciunt ſymbola adjecta divinitatem indicantia, & Dei alicujus adſtantis praeſentia, quae omnia uſu magis, quam certis regulis adſequuntur. Sunt etiam & Lares cucullati, qui non ſemel in hiſce Picturis occurrunt, ſaepius vero in Sigillis apud Cl. Gorium, & inter cetera Muſei noſtri. Hos ego Paſtorum, & ruris cultorum fuiſſe non dubito, quos *Lares Rurales* appellabant, de quibus Tibull. I. 1. 25.:

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes fertis munera veſtra Lares;

& Cato de R. R., qui multus eſt in honore illis adtribuendo.

IX.

Ad Viales accedamus, qui & frequentes ſunt in hiſce Picturis, & omnium perſpicui; nam praecipuo charactere diſtinguuntur. Hi certe in numero Domeſticorum non cenſebantur; nam hi addicti rei familiari circa focum verſari credebantur; illi vero ex iis putabantur, qui nullam domum ſortiti per compita vagabantur, & itinera cuſtodiebant, & peregrinantium ſacris inlecti ſoſpites illos reducebant. Hos precatur Eutychus apud Plaut. in Mercat. V. 2. 24.:

Invoco
Vos, Viales, ut me bene tutetis Lares....

Illorum praecipuam imaginem inter Sigilla vidi numquam; & omnium primi ex noſtris hiſce Picturis ſeſe produnt. Adſpectus illorum plerumque juvenilis eſt; cum contra Lares Domeſtici ſaepe virilem aetatem redoleant, & quandoque ſenilem; tum tunica ſuccincta veſtiuntur, & palliolo ſupra pectus adligato. Aliquando hoc uno contenti incedunt, cetera nudi. Virgam ſaepiſſime geſtant, petaſo, aut pileo Laconico caput velant, & caligis viatoriis pedes muniunt. A tergo vero bulgam pendentem deferunt, quae ſupra ſiniſtrum humerum emergit globoſa, & rugis aſpera, quae e ſiniſtro in dexterum declinat. Hanc aliquando Pictores aetatis noſtrae antiquitatis ignari, cum haſce imagines delinearunt, pro bulga parmulam fecerunt, ut apud Dempſter. Tab. XXXII., quod etiam in hiſce noſtris ſaepe peccatum eſt, ut diu haeſerim in hoc adtributo dignoſcendo. Ubi vero aliae, atque aliae ad manus obvenere accuratius exceptae, penitus intellexi geſtamen eſſe peregrinorum, qui in ea ſarcinula, ut adhuc fit, ſupellectilem viatoriam deferebant. Hos aliquando, cum petaſati conſiſtunt, cum Mercurio confundas, ni ceteris animum intendas, quibus Larem pro certo cognoſcas. Pileo vero Laconico maxime gaudebant aliquantum ſupra frontem duplica-

plicato, ut in citata Dempsterii Tabula, vel quia id esset peregrinantium tegumen ad aeris injurias depellendas, & ad Solem ab oculis avertendum, si plica dissolveretur. Credibile quoque fit, hunc morem ob generis originem retentum, ut se magna ex parte a Laconibus oriundos Etrusci testarentur, quod alibi in notis observatum est. Gladius etiam illis saepe tribuitur, non proinde quia usus armorum, ut hodie, frequens fuerit apud peregrinos, sed hoc insigne dignitati, & officio tradebatur, ut omnes agnoscerent, potestatem apud Lares Viales esse in eos animadvertendi, qui Jovem Xenium violassent, & injuriam peregre proficiscentibus intulissent. Superest monitum, ne pro Laribus Dioscuros usurpes. At hi numquam disjuncti sunt, & aetate, & cultu pares, atque, ut equorum studiosi, numquam pedites observantur. Contra Lares aut solitarii sunt, aut aetate dispares; nam Viales, ut laboris itinerum patientes, sub juvenili specie exhibentur; Domestici, & familiaribus curis intenti dignitatem quamdam virili adspectu, & quandoque senili sibi conciliant, qua observatione Dioscuros ex his Picturis rejicies, in quibus nondum illos esse animadverti. Ubi enim constituamus, Vasa haec fictilia in usum domesticum fuisse adparata, nihil in ipsis investigandum est, quod privatos mores, & familiares religiones excedat, in quibus Lares, sine dubio, primas obtinuerunt. Ceterum Larem Vialem ex aere expressum semel tantum vidi, & ex prototypo delineavi, quem insignibus caligis instructum, & longo itineri accomodis expressum videas post Dissertationem de cultu Genii Mus. Etr. lib. III.

X.

Supersunt Lares armati, qui saepissime in hasce Tabulas sese obtrudunt. Hos Hostilios nominatos invenio, quod hostes e domibus sibi creditis, & ex urbibus propulsare putarentur. Ad hos pertinent Etrusca Sigilla tote orbe diffusa, quae iuvenes galeatos, & loricatos repraesentant clypeum substinentes, & dextera elata veluti jaculum intorquente, quae quidem huc usque a viris alioqui doctissimis Martem referre creditum est, non enim aliquem e Diis superesse credebant, cui adparatus militaris conveniret. At mihi primum non leve dubium obtrusit immensa illa copia hujuscemodi imaginum, quae eruditorum penetralia fere occupant, mecumque ita contendebam. An ne Etrusci solum Martem venerati sunt, cujus Sigilla centies cetera exsuperant? Apud Romanos certe, qui Martem gentis condito-

 dito-

ditorem putaverunt, rariſſimi fuere, cum Martis Signa, quae Romanum ſtilum ſapiant, vix, aut vix inveniantur. Minutae hujuſcemodi imagines e templorum ruinis certe non prodeunt, ſed ubique in agris inveniuntur, earumque moles publico cultui repugnat, ſed domeſticum redolet. Domi vero haudquaquam Mars colebatur, ſed Lares, quos exiguos fuiſſe, & privato cultui pares, referunt Scriptores. Horat. Od. III. 23.:

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto;

Ovid. Faſt. V.:

Praeſtitibus Majae Laribus videre Kalendae
Aram conſtitui, parvaque ſigna Deum;

Juvenal. Satyr. IX.:

O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, aut tenui ſolet exornare corona;

& Tibull. I. 10.:

Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.

Ubi vero animadverti, fuiſſe etiam Lares Hoſtilios, qui, agmine facto, in illos inruerent, qui pacem urbium turbarent, mihi conſtitui, Lares omnino in domeſticis hiſce Signis quaerendos eſſe, quod iterum, meo licet periculo, conſtanter aſſero, his fretus auctoritatibus. Tibull. loc. cit.:

At nobis aerata Lares depellite tela.

Feſtus: *Hoſtiliis Laribus immolabant, quod ab his arceri hoſtes putarentur.* Ovid. V. Faſt.:

Stant quoque pro nobis, & praeſunt moenibus urbis,
Et ſunt praeſentes, auxiliumque ferunt.

Judicio huic meo circa Larium naturam conſonat opinio, illos eſſe Corybantes, quos Orpheus in Hymnis pariformiter armavit:

Ἀρήϊα τεύχε' ἔχοντες,
Μαρμαίροντες ὅπλοις,

Martialia arma habentes,
Reſplendentes armis.

Accedit auctoritas recentioris Perſii Scholiaſtis, qui veteres omnes, quos ad manus non habeo, penitus excerpſit, & in Satyram V. haec habet: *Succinctos Perſius dixit, quia pellibus caninis induti erant, & ſuccincti, tum ut more canum meminerit fures arcere; tum etiam ut ſint conformes ſuccinctis, ideſt Viris militaribus, qui quo eſſent expeditiores, ſe cingebant.* Id vero potiſſimum obtinuiſſe puto poſt Hannibalis ex Italia fugam; Laribus enim vulgo adtributum fuit, quod ille ſpe dejectus praeceps abierit, noſtraſque ſedes terrore liberaverit. Propert. lib III. 2.:

Hanni-

Hannibalemque Lares Romana
sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse
Jovem;

& Lucan. Pharf. lib. I. 556. periculum urbis describens ob Hannibalis adventum:

Urbisque labores
Testatos sudore Lares.

Quin & in mari eos adstitisse L. Aemilio Regillo, classe cum hostibus commissa, constat ex Liv. lib. XL.; qui, voto suscepto, quod eorum ope Victoriam fuisset adsequutus, Aedem Laribus permarinis dedicavit: *Idem dedicavit Aede Larium permarinorum in Campo. Voverat eam annis XI. ante L. Aemilius Regillus navali praelio adversus praefectos Regis Antiochi*. Refert deinde tabulam ei templo cum facti historia praefixam, cujus ultima linea hujusmodi est:

Ejus rei ergo aedem Laribus permarinis vovet.

Hos vero pugnaces Lares si monumentorum veterum ignari pingere deberemus, nullus alter profecto cultus nobis in mentem veniret, quam quod Militaris, illosque thorace, & galea, & ocreis, clypeoque armaremus, minaci manu, veluti lanceam intorquentes in adversarios. Quid plura? Lares equestres saepe vidimus in Museis, & hujusmodi apud nos habemus, quorum alterum speciosissimum Tuderti inventum Cl. Domitianus mihi dono dedit cum geminis Larium armatorum imaginibus, qui pedem altitudine exsuperant, quae omnia notanda erant, ne cum equites hosce in bellum proficiscentes in his Tabulis videamus, non immerito Laribus adtributas esse judicemus. Adeo vero conveniebant arma Laribus, etiam familiaribus, ut e bello reduces ea illis resignarent. Ovid. lib. IV. Trist. 7.:

Miles ut emeritis non est satis
utilis armis,
Ponit ad antiquos, quae tulit
arma, Lares:

& Aristoph. in Abibus;

Ἔποψ. Ἄγε δὴ σὺ, καὶ σὺ τὴν πανοπλίαν πάλιν
Ταύτην λαβόντε, κρεμάτατον τὺχῃ
'γαθῇ,
Εἰς τὸν ἰπνὸν εἴσω, πλησίον τοῦ
'πιςάτου.

Epops. Heus tu, & alter (fugitive) *recipite iterum*
Hanc armaturam, eamque jam
suspendite Fortunae
Bonae in foco proper (Larem)
praestitem.

Id etiam fecisse Etruscos, clare constat ex nostris hisce Picturis, in quibus aliquando pone Lares arma suspensa videas. Ceterum quod attinet ad Larium armaturam, observandum est, illos quandoque galea Samnitica munitos esse, quae duabus pennis

nis supra tempora ornabatur, addita lorica studiosissime caelata, quam cum alibi non videamus, certe ex indicio galeae, cui nationi tribuenda sit, intelligimus. Hinc etiam subodoramus, quibus artificibus, quove in loco aliqua ex his Vasibus ducta sint, quae stilum peculiarem, & ab aliis longe diversum spirant. Hoc armaturae genus in Sigillis frustra exquiras; qui enim loricati sunt, thoracem gestant sursum deorsum segmentatum, ut ex aereis, seu ferreis laminis ab humeris dependentibus, simulque communi loco subjugatis consistant, quas loricas *virgatas* adpellarim, & in memoriam reducunt Gallorum sagula, de quibus Virg. Aeneid. VIII.:

Virgatis lucent sagulis;

Quo nomine licet loricas non accipiamus, modum tamen operis militaris indumenti thoracem imitantis intelligimus. Est & aliud, in quo lectoris studium excitemus circa Larium armaturam, qui in hisce Tabulis frequentissime duplici lancea armatur, & quandoque una, sed tamen bicuspide. Binas in praelio gestare lanceas, seu jacula usitatum fuit antiquis, unde saepe Virgilius ita incedentes milites nobis describit:

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Duo quisque alpina coruscat

Gaesa manu,

& Pindar. Pyth. IV. antistr. 4.:

ὁ δ' ἄρα χρόνῳ

Ἷκετ', αἰχμαῖσι διδύμαισιν ἀνήρ.

at ille vir

Venit hastis geminis terribilis.

Lanceam bicuspidem adhibuere veteres in venatione, & in praelio. De primo illius usu mentionem facit Gratus Poeta aevi Augustei hisce versibus:

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus, tum stricta verutis
Dentibus, & geminas subiere hastilia furcas.

Has *mesanculas* dictas invenio apud Gellium lib. X. cap. 28., quam vocem ita interpretatur in notis Mosellius ejus Scholiastes: *Messanculae sunt bifida tela per medium incisa, sic dicta a* μέσος, *quod est medium, &* Ἄγκυλος *curvus, quia inter utramque cuspidem veluti sinuatur*. Quod ad rem nostram pertinet, scio, hujusmodi duplicis lanceae mucronem aeneum antiquitate spectabilem olim visum fuisse Romae in Museo Eq. Francisci Gualdii Ariminensis, unde Adimarius Pindari traductor delineatum descripsit, deque illo mentionem fecit ad Pythionicam IV. n. 26., rursusque

que ad Nemaeam X. n. 30., *Teli genus*, quod duplici vulnere sauciaret, & difficulter vitaretur, acuminibus sibi invicem succurrentibus, ut, uno frustrato, alterum incassum non abiret. Hujusmodi quoque telo utuntur Centauri in praelio cum Lapithis commisso in Etruscis Ossuariis Perusiae defossis, & Dempsteriano Operis adjectis.

XI.

Est & de Larariis non inopportuna disputatio; In his enim Deorum Larium in singulis familiis Signa servabantur, quae etiam a Verre direpta fremit Juvenal. Satyr. VIII.

Ipsi deinde Lares, si quid spectabile signum,
Si quis in aedicula Deus unicus, nam haec sunt
Pro summis, nam sunt maxima.

Erant autem Lararia in domibus secreta quaedam penetralia, in quibus diligentissime Dii domestici servabantur, Lares, & Genii utriusque sexus. Vix enim, aut vix puto, in illis Deos magnos sociatos, qui & longe alias religiones, cultumque exposcebant, quos in templis coli fas erat publico cultu, & qui domesticum focum Laribus proprium respuebant, ne cum Diis Patellariis (sic enim per jocum Lares vocat Plautus, quod e patella aliquid eis libaretur) se se accumularent. Cetera vero Deorum Sigilla, quae avidissime colligimus, ut plurimum donaria templorum fuerunt, & si quando illa in privatis domibus culta sunt, quod de Minerva Ciceronem fecisse narrant, ea non in communi Larium loculo, sed in diverso constituta fuisse puto, quemadmodum de Alexandro Severo accepimus. Lararia vulgi, ut ex his Picturis manifestum fit (nec enim est, cur aliunde illa exquiramus) loculamenta fuere in pariete efformata haud magnae amplitudinis, rotunda saepe, quandoque quadrata, sublimi tamen loco, ut quo magis fieri posset, ab hominum commercio segregarentur. At potentiores hisce loculis non contenti armaria habuere procera, & elato suggestu in altum sublata columnis, antis, coronide, fronte, ceterisque Architecturae ornamentis decorata, quae privatos Deos caperent. Utraque vero valvis firmissime claudebantur, ut Dii tutiores essent. Opportune Arnobius lib. VI.: *Si apertum vobis, & liquidum est in Signorum visceribus Deos vivere, atque habitare Caelites, cur eos sub validissimis clavibus, ingentibusque sub claustris, sub repagulis, sub pessulis, aliisque hujuscemodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos?* Ut vero oculi eruditorum illis dignoscendis adsuescant, placet

cet hic varium illorum adſpectum in hiſce Picturis feſtinante pennicillo adumbratum potius, quam depictum exponere, ex quo formam peſſulorum vix in Picturis leviter indicatam diligentiore ſchemate exponemus.



Itaque n. I. habes Lararii ſimpliciſſimam formam ex Tab. XX., XXI., LII., LXXIV., LXXXVIII. Iterum n. II. vel duplici valva clauſum, vel duplici ſpatio diſtinctum ex Tab. XCV. N. III. non modo apertum, ſed inſuper Dea ſe ſe foris prodeunte, & veluti votis occurrente, ex Tab. XVIII., XXXVII., LXX. Quod ſequitur num. IV. ex Tabul. XXXVIII. ſemiadapertum eſt. Num. V. habes ex Tab. LXXXVI. Lararium omnino revelatum, rejecta in parietem valua. Penultimum ex Tab. LXXV. clauſum eſt, & peſſulo tranſverſo obfirmatum. Poſtremum numero VII. ſignatum occurrit ſaepiſſime in ſequentibus Centuriis, quod rotundum eſt, & duplicem valuam oſtendit obſeratam peſſulo geminis annulis immiſſo; quod Opificium, cetera ſatis vulgare, manifeſtius exponitur ſub n. VIII. Haec vero Lararia humilioris fortunae homines in uſu habuere. At contra divites, ut ſupra diximus, in domibus Sacella quaedam, ut puto, lignea, ſed ornatiſſima, & Picturis diſtincta coluerunt, quorum imagines videre eſt frequenter in tota hac Collectione. Haec vero loculamenta, ut praemiſimus, clauſa ſervabantur; at in domeſticis ſolemnitatibus, cum ſacra Laribus fieri oporteret, aperiebantur, ut nullo interpoſito repagulo nidor ſacrificii Deos attingeret. Aperiebantur igitur in Feſtis natalitiis, in Nuptiis, in Togae virilis datione, in Magiſtratuum initiis, & conviviis ſolemnibus, quae omnia ex hac Picturarum Centuria, potiſſime vero ex ſequentibus, Deo dante, demoſtrabimus.

Erant

Erant praeterea ſtati dies, quibus Lares ſacra exſpectarent, & ſe conſpici vellent, ſingulis nempe Kalendis. Propert. lib. IV. Eleg. 3.:

Omnia ſurda tacent, rariſque
aſſueta Kalendis
Vix aperit clauſos una puella
Lares;

& Horat. Carm. lib. IV. 23.:

Caelo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Luna, ruſtica Phylide:
Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca:
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Foecunda vitis;

Et de Kalendis Januarii Tertull. ad Uxor. cap. 2.: *Moratur Dei ancilla cum Laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus Daemoniorum, omnibus ſolemnibus Regum, incipiente anno, nidore thuris agitabitur.* Et Ovid. Faſt. V. 129. alias citatus:

Praeſtitibus Majae Laribus videre Kalendae
Aram conſtitui, parvaque ſigna Deûm.
Ara erat illa quidem Laribus, ſed longa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.

Ornamenta vero plurima circum haec Lararia ſuſpendebantur, quod, etiam ſilentibus antiquis Scriptoribus, hujuſcemodi Picturarum teſtimonio abunde intelligeremus. Et quod caput eſt, illis pueriles bullas ſuſpendebant, quod comprobat Perſii locus ſatis obvius:

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit:

Coronas longas, nexas, flores ſolutos; Plaut. in Aulul. ſupra citatus:

Nunc thuſculum emi, & has coronas floreas,
Hae imponentur in foco noſtro Lari;

& ipſe Lar in Prologo:

ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui
ſemper ſupplicat;
Dat mihi coronas;

& Juvenal. Satyr. XII.:

Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes violae jactabo colores.

Vittae ſacrae ſuſpendebantur Larariis, & faſciae quaedam ornatiſſimae, quae non fortuito Pictorum arbitrio, ſed conſtanti quodam inſtituto, non ex unico clavo, ut breviores, ſed e duplici volitare ſinebantur, quas ego ad vincula Nuptialia referenda cenſui. Illis aliquando veſtes, & pueriles praetextae dicabantur, quod etiam ſaepe in Notis animadvertimus. Item arma, & pilei viatorii, quod non uno in loco obſervavimus.

mus. Primitiae illis dabantur, atque adponebantur. Hor. Satyr. III. lib. II.:

Dulcia poma,
Et quaecumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives;

ubi vetus Scholiaſtes: *Antequam primitias Laribus offeras, mitte munera diviti, quaſi ſit tibi ipſis Diis venerabilior, nam veteribus ipſa conſuetudo, ut rerum primitiae Diis Laribus ponerentur*. Et Calphur. Eclog. II. 65.:

Hos quoque pomiferi Laribus conſuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo.

Huc vero, ſi quid recte ſentio, ſpectant tria poma ſaepiſſime in Larario conlocata, & quae in ſequente Centuria vir Larvatus per ſcalam ad Lararium adſcendens, e quo Dea caput promit, in manibus dedicanda ſuſtollit. Fuere & apud Lares Kalendaria, quibus, qui faſti, aut nefaſti dies eſſent, quae feriae, & quae ſacra, cognoſceretur, de quibus ſuo loco actum fuit. Fuere demum & tabellae multis clavis infixis diſtinctae, quibus, quot in numero eſſent in familia, deſignarentur, quorum quiſque ſuum cognoſcebat, & fertis, floribus, & reliquis honorum ſpeciebus onerabat. Habuere praeterea liba quaedam, quae, ut commodius adfigi poſſent parietibus, circa medium perforabant; & ita clavis ſuſpendebant, donec hora adveniret, qua offula in focum projecta, quod reliquum erat in familia, divideretur, quemadmodum de victimis animalibus fieri ſolemne erat.

XII.

Unum ſupereſt, ne quid ad haſce Tabulas inluſtrandas praetereamus, ut de Foco Larium aliqua attingamus, cui quidem tanta inerat religio, ut inde dicterium emanaverit *pugnare pro Aris, & Focis*. Hic vero Laribus ſacer focus non alius erat, quam ille in familia communis, in quo dapes parabantur. Hic vero promiſcuus foci uſus inter mortales, Deoſque aperte manifeſtabat, illos aliquando fuiſſe homines, qui dignarentur aliquid cum poſteris ſuis habere commune, & paſci e cibis, quibus ipſi veſcerentur. Hinc vulgatum illud Perſii Satyr. III.:

cultrixque foci ſecura patella;

ubi vetus Scholiaſtes: *Cultrix foci, quia delibandae dapes in ea poſitae ad focum ferrentur*. Itaque ſecreta illa penetralia, de quibus ſuperiori Capite actum eſt, non in aula, aut exedris, aut in conclavibus exſtiterunt, ſed in culina; unde Hor. Sat. II. 6. 66.:

Ante Larem proprium paſcor, vernaſque procaces
Paſco libatis dapibus.

Oppor-

Opportune Arnob. in IV.: *Et quid, quaeso, ut faciat praesidatum, Focorum Deus iste sortitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens, & explorans, quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur.* Unde Prudent. in περὶ στεφάν. X. 261. *fuliginosos* eos vocat:

Fuliginosi thure placantur Lares;

& contra Symm. lib. I. 204. *nigros* adpellat:

Unguentoque Lares humescere nigros.

E foco igitur Lar erupisse dicitur, ut Ocresiam comprimeret apud Plutarch. de Fortun. Rom.: Οἱ δὲ οὔ φασιν, ἀλλὰ παρθένον τὴν Ὀκρησίαν ἀπάργματα, καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης, ἐπὶ τὴν Ἑστίαν κομίζειν. καὶ πότε τυχεῖν μὲν αὐτὴν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν, αἰφνίδιον δὲ τῆς φλογὸς μαρανθείσης, μόριον ἀνδρὸς ἀνατεῖναι γόνιμον ἐκ τῆς Ἑστίας.... λέγουσιν οἱ δὲ Ἡφαίστου τὸν ἔρωτα τοῦτον γενέσθαι. *Alii rem sic narrant: Ocresiam virginem identidem primitias, & libationes a regia mensa accipere, & ad focum perferre consuevisse, quae cum aliquando de more eas in ignem injiceret, subito collapsa flamma, genitale viri membrum e foco exstitisse..... Amorem hunc alii Lari, alii Vulcano adtribuunt.* Ne vero nominis ambiguitate in errorem inducamur, scire oportet, duos fuisse Focos, alterum humanis usibus destinatum, in quo *micron creas*, hoc est epularum libamenta, & primitias comburebant, & propterea sacrum Laribus; alterum selectum, quem in foculo, hoc est tripode, machinula reponebant ad thus adolendum, quod quidem instrumentum plerumque aereum ex columna constabat, quae e basi surgens in discum, seu craterem terminabat, ad prunas colligendas concinnatum. Haec Machina aliquando tantae molis erat, ut humi constituta par esset officio, cujusmodi duo paria inventa sunt superioribus annis in agro Auximate. At magis communiter in privatis familiis breviores tripodes habebantur sesquipedali, aut pedali proceritate, cujusmodi passim in Etruriae Museis inveniuntur, qui quidem basi, aut columellae quadratae, quae & Focus sine ara Larium dicebatur, imponi solebant. Hunc morem fuse descripsimus in Dissertatione de Monumentis Cortonae nuper effossis, quo in loco & columnarum, & foculorum imagines e monumentis veterum exceptas retulimus. Quae vero in praesentia de hisce Focis innuimus, egregie confirmantur exemplis praesentium Tabularum, in quibus cippi quadrati saepe occurrunt, adstantibus Sacrificulis. Aliquando vero arae, sive columnae tantae altitudi-

 nis

nis erant, ut ſolum craterem cum prunis paterentur, cujuſmodi illa eſt, quam Tab. IX. obſervamus. Exempla confirmantur multiplici ratione; nam foci coronis, & vittis coronabantur, quod nonniſi de columnis intelligi poteſt. Propert. IV. 6.:


Terque focum circa Laneus orbis eat;

Plaut. in Aulul. II. 8. ſupra citatus:

Hunc thuſculum emi, & has coronas floreas,
Haec imponentur in foco noſtro Lari.

Cato de R. R.: *Coronam in focum indat, & per eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.* Hujuſmodi vero vittae, verbenae, flores, & coronae ipſis baſibus circumductae ſunt in hiſce Etruſcorum Picturis; ceteroquin ignis omnia abſumpſiſſet, cum nefas haberetur illa detrahere. Tibull. I. 2.:

Non feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaque de ſanctis diripuiſſe Focis.



DE

DE RE VESTIARIA ETRUSCORUM *DISSERTATIO.*



REm Veſtiariam Etruſcorum tripartitam conſiderabimus, qua nempe ad Deos pertinet, qua ad viros, qua demum ad mulieres. A Diis exordiamur.

Dii mares plerumque nudi ſunt, aut ſolo peplo, ſeu Divinitatis pallio adornati. Id prolixius in Jove eſt, quo humeros,& inferiores corporis partes ad pedes uſque tegit, cetera nudus. Stetit haec forma Graecis, atque Romanis, ut ſimulacra, & ſigilla, ceteraeque illius imagines in gemmis, & numiſmatibus conſtanter declarant; nec myſterio caruit hic cultus, per quem Mythici indicabant, illum ſuperis manifeſtum eſſe, his vero, qui infra eſſent, occultum; & ſi Phyſicis credimus, quia ſupremus aer ſemper clarus ſit, infimus vero obductus nubibus, quarum poteſtatem Jovi Νεφεληγερέτῃ, *Nubicogo*, aut Κελαινεφεῖ, *nubium offuſcatori*, quemadmodum eum vocat Homerus, tribuerunt. Id pallium quadratum eſt, altitudine ſtaturam exſuperante, ſed duplo, & amplius longiore, ut plicarum ratio diligenter examinata demonſtrat. At Tab. VII. eſt etiam tunicatus, demum alibi e bello Gygantum victor Loricatus adparet, & Chlamyde ſub mento adligata contegitur.

Apollo ut plurimum nudus eſt, unico munitus palliolo, quod brachio ventilat; quandoque Jovis cultum imitatus eo tegitur ventre tenus. Aliquando, dum citharam pulſat, aut tibias inflat, tunicatus, & diſcinctus eſt, ut in Tab. VII., more citharedis uſitato, ut diximus in Notis ad Lucernas Tom. III.

Hercules Leonino corio horreſcit; nudus in conſpectu Jovis ſiſtitur Tabul. VII., & alibi levi palliolo ornatur.

Mercurius chlamydulam geſtat ſupra pectus conſtrictam, petaſo quadrato poſt terga rejecto. Alibi nudus adparet pileolo alato fretus, quo geſtamine alibi deſtituitur. In ſequentibus Centuriis aliquando nobis occurret longo pallio obvolutus, quo geſtamine illum minime agnoſceremus,

mus, nisi parerga, & fabulae contextus illum proderent.

Idem Deus cum animarum ducendarum officium praestat, peculiari quadam forma ab Etruscis expressus est; quippe quia quaternis amplissimis alis tergo adpositis instructus adparet, quarum duo in superiora protenduntur, ceterae vero in inferiora. Brachium unum adtollit, alterum submittit, uno genu terram premit, elatum alterum ostendit, qui corporis status duplicem illius potestatem in superos, & in inferos demonstrat. Hinc Horat. I. 10.:

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus; virgaque levem coerces
Aurea turbam superis Deorum
Gratus, & imis.

Sub hoc adspectu videndum notis se offert in Vase inter Picturas sepulcrales recensito, & in patera Etrusca, cujus editionem, & inlustrationem cum plurimis aliis exspectamus a Viro Cl. Jacobo Blancanio Musei Bononiensis Cimeliarcha, Linguae Graecae in patria Academia Professore, mihique benevolentia conjunctissimo.

Ebon, seu Bacchus senex Campanorum ad talos usque tunicatus est, quae quidem vestis amplioribus manicis praeter cubitum productis insignitur, qualem matronae hiberno tempore deferebant. Quocirca sine injuria senectutis femineum cultum illi tribuebant. Quin super tunicam pallium gerit, seu potius stolam femineam, de qua suo loco agendum nobis erit. Talem ostendunt Tabul. CLX., CLXXII., CLXXIII., CLXXV. CCCXV., CCCXXVIII., & aliae passim. Quandoque solo pallio tegitur sine tunica, ut Tab. CCCXXIX., CCCXXXVI., & CCCL. Immo aliquando nudus adparet, veluti in Tab. CCCXXVII., & CCCXXXVIII., & cum discumbit synthesim gerit, qua humeros, & inferiora tegit. Sic Tab. CCCXXXVII., & CCCXXXIX. Baccha saepissime nuda est infra ventrem, tantum peplo adoperta. Exempla suppeditant Tab. CCXIV., & CCXV., cum ceteroquin habitu matronarum induatur, sed fimbriis, clavis, virgulis purpureis, floribus, & stellis ornatissimo. Videas Tabul. CCXVI., CCXVII., & CCXVIII., aliasque passim.

Pallas Tabul. CCXXVI., & CCXXXVI. tunicata, & stolata est, aegide pectus munita. In meo tamen Etrusco Sigillo tunicula succincta, & thorace tegitur, cetera nudis cruribus, ut etiam in Tab. CCCCIX.

Venio ad Lares, quorum diversam, & pene arbitrariam formam indumenti pro ratione officiorum in Dissertatione, quam in id argumentum superius habes, delibavi. Hic oppor-

opportune paucula de his reperenda. Lar aliquando togatus in ſacello conſiſtit. Talem videas iterum, ſed barbatum. Lares viales lato petaſo muniuntur, & cum pileo Laconico bulgam viatoriam a tergo deferunt. Lares Hoſtilii galea, clypeo, & aliquando thorace armantur, & geminis lanceis, aut unica, ſed bicuſpide, aut equos agitant. Ceterum ubique illos videas nudos, vel ſeminudos, aut palliolo brachiis circumvoluto.

Veſtitus Heroum ad Thuſcos non pertinet, quippe quia Pictores ejus Nationis ſcitiſſimi, & moris obſervantiſſimi, quod noſtri negligunt, ubi fabulas pingendas ſibi propoſuerunt, arma, & veſtes ſingulis Nationibus proprias tribuerunt; Graecis praeſertim, quorum fabulas maxime callebant, & quorum mores habebant perſpectiſſimos.

Thuſcorum armaturam proinde ignoramus, quidquid Viri ceteroquin doctiſſimi tradiderint, qui in Etruſcorum monumentis nihil fere ſibi obſervare viſi ſunt, niſi fabulas, aut hiſtorias Etruſcorum, quas ego primus, citra jactantiam dico, Graecas eſſe demonſtravi. Nihil igitur conferunt Graecorum armaturae ad Thuſcorum bellicum adparatum, neque in tota hac Picturarum collectione quidquam militaris inveni, quod ad illos pertineat, quin potius peregrinam fabulam manifeſte non ſapiat. Ex Sigillis tantummodo noſtrae Nationi propriis indumentum bellicum intelligimus, quod conſtabat ex galea cum bacculis inſigniter criſtata, & thorace ſurſum deorſum ſegmentato, cujus lineae tribus, ut plurimum, loris rotundis tranſverſis firmabantur, ne difluerent, artuſque protegerent. Has autem loricas ex corio exſtitiſſe, conjicio; nam ferreae motum corporis in praelio varium ſemper, & concitatum obligaſſent adeo, ut Vir armatus ad vitandos ictus, clypeoque ſuſcipiendos flecti non potuiſſet. Confirmat ſuſpicionem hanc meam, quod nulla tunica ſubeſſe loricae, quantum aſſequi licet, videatur. Ocreae inſuper crura defendebant, pedibus cetera nudis.

Eſt & aliud ſimpliciſſimum Etruſcorum militum indumentum tunicula ſuccincta, & manifeſtius ex Cippo lapideo apud Dempſterium T. XLVI. & ex duobus ſimulacris armatis Tab. LXXII., & ex alio Cippo Muſ. Etrus. Tom. I. Tab. CLXXVI. hoc ipſum evincitur, ubi milites e bello reduces hoc velamine muniuntur. Nec erat, cur loricam praeſumerent, qui clypeum tam valenter tractabant, qui panopliae inſtar erat.

Occurrit vero ſaepiſſime in hiſce Vaſculis armatura Samnitum, quam proinde Etruſcam dicere jure poſſumus.

mus. Illi thorax breviufculus ornatiffimus, & floribus depictus; Galea rotunda duabus plumis fupra tempora ornata; Thoraci vero tuniculam femper fubjiciebant, ut cetera velaret, quae ferreum tegmen non protegebat, quod pectorale potius, quam lorica dici merebatur. Aliquando vero loco Galeae pileum Laconicum deferebant; Lancea vero bicuspis huic armaturae maxime conveniebat, ut Picturae demonftrant. Aliquando thoraci globofam fpongiam fuperponebant decuffato loro adligatam, ut incurfum fagittarum debilitaret. Exempla hujus armaturae pluries occurrent in hifce Picturis, & in marmoribus apud Gorium. Id inventum a Samnitibus petitum eft, ut conftat ex Livio IX. 40., ubi illius Nationis bellicum adparatum defcribens ait: *Spongia pectori tegumentum, & finiftrum crus ocrea tectum, galeae criftatae*. Ex hifce vero monumentis conftat, hanc fpongiam loricae additam fuiffe, ne reliquum corpus abiret indefenfum.

Ad paganica progrediamur. Veftis virorum communior, atque antiquior una fuit toga, atque ea fimpliciffima, qua fuper nudo velabantur. Pannus erat quadratus, & apertus, altitudine ftaturam aequante, longitudine fere dupla, cujus partem finiftro brachio imponebant, ex quo in angulum ad tibias defcenderet. Surgebat inde in finiftrum humerum, unde in dexterum latus defcendens brachium, & fcapulam dexteram nudam, expeditamque relinquebat. Quod reliquum erat panni, iterum brachio finiftro injiciebatur, ut oftendunt omnes fere Picturae noftrae, & omnium maxime fimulacrum aereum apud Dempfter. Tab. XL. Hanc veftem ab ornamentis modo puram, modo praetextam, modo pictam, aut laticlaviam pro dignitate hominum nuncupabant, quia feminis adtributa nomen ftolae fortita eft, at forma par omnibus, cui Romani finus plurimos & umbones ftudiofiffime, luxu crefcente, adjecerunt, immo & cingulum, more a Sabinis derivato, unde Cinctus Sabinus geftamen Confulum.

Emollitis moribus, togae fubjecta eft tunicula, quae genua non excederet, quae & corpus defenderet, & ad honeftatem conferret. Duplicis formae exftitit haec apud Thufcos; Aperta una, altera claufa. Vide in fequenti Tabula Fig. 1., ubi tunica aperta exponitur; & conftabat ex panno in medio perforato, qua caput infereretur, poftica vero anteriori parti in lateribus aliquantum fuperpofita, & cingulo firmata claudebatur, ut Fig. 2. Hanc obfervamus in praefato Cippo apud Dem-

Dempster. Tab. XLVI., & saepe in nostris Picturis. Hac veste induebantur artifices, & terrae cultores, ut expeditiores essent, quod demonstrat Marmor Oliverianum, in quo fabri ferrarii ferrum tundunt. Aliquando haec tunicula clausa est, ut in Figur. 3., qualis saepe in hac Collectione occurrit; Ei vero togam superponebant.

Penulam quoque video ab Etruscis adhibitam, ut constat ex Sigillo, quod Cl. Gorius vulgavit Mus. Etrus. Tom. I. Tab. XVI. Ejus forma antrorsum aperta, & fibula sub mento conserta. Ejusdem formae exstitit, ac chlamys, quam Fig. 5. delineavimus, sed admodum brevior, ut ne lumbos attingeret. Hujus limbum supra brachia utrimque rejiciebant, ut expeditiores essent, ut constat ex citata Figura, quam proinde inter hybernas vestes reputarem, & qua villici uterentur ad aeris injurias tollerandas, addito quandoque cucullo, ut adparet ex alio ejusdem operis aeneo Sigillo.

Restat, ut adolescentum praetextam ad examen revocemus. De hoc multi multa scripsere, quae originem, ornatum, & nomen hujus vestis respiciunt, sed nemo adhuc praecisam illius formam, quod viderim, attigit; Neque adducor, ut credam, praetextam, & togam in solo colore discrepasse, cum ceteroquin pueris forma togae incommoda nimis exstitisset. Sed praetextam puerilem Romanorum missam faciamus, qui rem vestiariam Etruscorum tantummodo inquirimus. Praesens quidem Collectio objicit nobis tantummodo Tirones recenter togatos, praetextatos vero semel tantum Tab. CIII., in qua adolescens sistitur longo indutus panno utrimque aperto, ut in Fig. 4., cui respondet Dea ex alto advolans cum lyra, passis capillis, quam ego Deam Juventam esse reor, quae crinium cultu aetati puerili respondet, per quam Etrusci intonsi incedebant. Confirmat vero me in suspicione, puerorum Etruscorum vestem fuisse cucullae genus, quod viderim etiam puellas ejusdem Nationis nuptias comitantes hoc genere vestis superne munitas, ut infra dicam. Donec igitur de Etruscis meliora non audiam, in ea ero sententia, adolescentulos tunicae oblongum hunc pannum superposuisse, quem quia praetexta purpura ornabant, nomine ornamenti nuncupare solebant.

Pallium Etruscorum, quod tunicae superaddi solebat, ob oculos ponit Tab. CLX. Mus. Etrus. Tom. I. Constabat id ex panno quadrato, cujus superiores angulos ita humeris imponebant, ut utrimque in pectus descenderet, nulloque vinculo, quod

ſaltem adpareat, colligato. Hoc geſtamine viri, & feminae promiſcuo uſu utebantur hiemali, ut puto, tempeſtate, aut in itinere conficiendo, & revera in eo anaglypho reditus ex aliqua expeditione expreſſus eſt, quo teſtimonio eo libentius utor ad res Etruſcorum confirmandas, quod ex cippo municipalis lapidis deſumptum ſit, in quo peregrina ſculpi non ſolebant, ſed geſta populi, pro quorum felici exitu votivae hae arae ſtatuebantur; Quod iterum dico de ſimili cippo apud Dempſter. Tabul. XLVI., in quo alter reditus a militari expeditione, gratante Magiſtratu, ſculptus obſervatur. Ut enim potentiores Romani templa in praelio vovebant, ita ſuſpicor, urbium Etruſcarum Praefectos aras haſce voviſſe, ni putemus, cippos hoſce baſes fuiſſe ſtatuarum, quas ducimus pro re bene geſta Senatus decreviſſe.

Aliquando viri chlamydem ſupra tuniculam induebant, abjecta toga; Magiſtratus praeſertim, & milites. Pannus erat quadratus amplior, qui ſuperne in rugas conſtrictus, qua collum circumdabat, fibula ſub mento firmabatur, & ad medias ſuras diffluens totum hominem ambiebat. Vide Fig. 5. Hoc Graeci Heroes velamine utuntur in ſequentibus Tabulis, & alibi frequentiſſime, praeſertim in urnis marmoreis. Ut vero magis expediti incederent, infimos angulos hujus veſtis colligebant, retractoſque ſub cingulo conſtringebant, ut in cippo apud Dempſter. Tabul. XLVI. Fuit praeterea haec veſtis lavantium, ut, cum tepidi e balneo exirent, ejus ſuperinjectu ab aere ſe defenderent, ut adparet ex Tabul. XXXIV., in qua etiam mulier e balneo egreſſa hac chlamyde, ſed virili longiore velata eſt. Hac etiam ſaepe iuduuntur Lares, ut & Caſtor apud Dempſter. Tab. VII., ſed nodus in dextero humero locatus eſt, ut, cum in hoſtes inſilirent, & ſiniſtrum latus offerrent, pallium id totum hominem, ut verbo Varronis utar, clupearet. Vide Fig. 6.

Mulierum veſtes variae pro diverſitate ſaeculi, locorum, & dignitatis, & ſi praeterea ſuſpicari licet, etiam anni temporum; Credibile eſt enim alias fuiſſe veſtes aeſtivas, quae brachia denudarent, alias hibernas, atque manuleatas. Singulas percurramus.

Primum ergo veſtis muliebris genus fuit tunica clauſa, quae pectore tenus ventrem, coxas, & crura tegeret, pectore interim nudo; ne vero id indumentum difflueret, geminis vinculis ſupra pectus decuſſatis, & per humeros recurrentibus ſuſtinebatur. Vide Fig. 7. Hac unica veſte contextae ſunt Geniae, & Deae plures

plures in Etruscorum sepulcris, & praesertim apud Dempster. Tab. VII., XXV., & XLIV. Hoc etiam uno velamine amiciuntur in columna Alfania a nobis inlustrata puellae, quae funeri adsistunt, nec me poenitet conjecturae jam tum prolatae, moris fuisse apud Thuscos, feminas funestatas nudo pectore, ac lacertis incessisse ad extremum dolorem ostentandum. Mos iste translatus fuit etiam ad Deas in ossuariis insculptas, veluti quae custodes datae mortuis funebrem ritum perpetuo conservarent. Pariformiter cum certaminibus adsistunt Pelopis, Eteoclis cum Polynices, & Heroum Cadmeorum, qui e dentibus serpentis nati mutuis vulneribus continuo interiere, omnes brevicula hac tunica inferius vestiuntur. Hanc aliquando contractam succingebant, crura, & genua detegentes, ut apud Dempster. Tab. L., & LIII., & alibi satis frequenter, ejusque speciem damus Fig. 8. Ut tamen verum fatear, haec vestis non alia fuit, quam tunica communis feminarum, quae geminis nodis in utroque humero firmabatur, & pectus, lacertosque decenter operiebat. Cum vero luctus adventaret, dissolutis nodis, quidquid supra cingulum esset, involvebatur eidem cingulo, ut quodammodo tumidam quamdam coronam referret. Et revera si has imagines attente perscrutemur, in claro erit, vestes hasce longiores fuisse, quam quod adpareat, multumque ex illis ultra cingulum superfuisse, quod involutum latet.

Tunica igitur comunis feminarum duplex fuit; altera nempe clausa, quae a collo ultra pedes progrederetur, totumque corpus undequaque contegeret, exceptis brachiis, quae nuda e gemino foramine exsiliebant, ut ostendit Fig. 9. Haec vero vestis succincta eatenus contrahebatur, ut pedes incessui liberos relinqueret, ut Fig. 10. Fuit haec Virginum, & Ancillarum vestis in hisce Picturis omnium obvia; hae namque stolam non gerebant, & hoc simplici habitu ut plurimum utebantur, quod manifeste liquet ex plurimis hujus Voluminis Tabulis, atque sequentium, in quibus puellae ita indutae adsistunt matribus cum stola sacrificantibus. Quin & aliquando sponsae nondum nuptae nil praeter tunicam gerunt Deabus sacrificantes.

Alterum tunicae genus a summo deorsum in lateribus apertum fuit, quale descripsimus Fig. 4., quo feminae vestiuntur in hisce Tabulis, in quibus aliquando nullo cingulo constrictae femur, revelabat. Id genus tunicae Lacoenis usitatissimum fuit, ut constat ex Plutarcho in Numa, subdens a Poetis per jocum φαινομερίδας, quod latera nuda ostenderent, vocitatas,

tatas, quod ut averteret Numa, statuit, Romanas feminas clausis tunicis uti debere. Ubi vero apertae in usu forent, parte postica super anteriorem retracta, & vinculo colligata totum corpus contegebant, ut Fig. 11., & ex Tabulis mox citatis.

Fuit alterum tunicae genus studiosissimum, quod constabat ex duplici panno, cujus utraque pars super abundans in pectus, & in humeros recidebat, ubi fluxus quosdam, & canaliculos venustissime componebat. Adeunda Fig. 12. Hujus vestis rationem diu speculatus non aliam fuisse putari, quam duplicem pannum amplissimum, atque quadratum, & in pectus ad duos palmos recidentem, ut Fig. 13., ita ut fibulae non in ora extrema, sed circa medium locarentur, ut quod inde supererat, hinc inde super pectus descenderet, quod etiam in altero panno posteriore adamussim servabatur. Id genus vestis nusquam alibi me vidisse memini, nisi forte in veteri Sculptura, in qua duo Geniae coronam supra caput Dianae Ephesiae sustinebant. Ceterum ex hoc uno exemplo intelligimus, Etruscas feminas pro variis officiis varias vestium formas, easque curiosissimas adhibuisse, quas sensim, crescente hujus antiquitatis studio, detegemus.

Habuere quoque manuleatas tunicas, quarum aliae brevissimas, atque arctas haberent manicas, ut Fig. 14., Aliae longioribus munitae erant, sed & ipsis angustis. Aliae rursus manicas habebant longiores, & ampliores, ut Fig. 15. Aliae demum, ut in Fig. 16., omnium amplissimas habuerunt, sed foramine adeo angusto, ut brachium pene constringeret, quas hibernas fuisse, credo, nam aliquando quae hoc indumento muniuntur, stolam ferunt, non ad ornatum retractam, & complicatam, sed omnino dissolutam, ut corpus, excepto brachio dextero, undequaque muniret, quae dissolvendae stolae ratio manifeste declarat, hanc vestem ad frigus avertendum fuisse introductam.

Fuit praeterea genus tuniculae brevioris, quam Thuscae mulieres longiori superponebant, simile omnino virorum tuniculis, quam pariter vestem introductam fuisse credo ad frigus avertendum, nam & ipsa aliquando manuleata adparet. Haec vero ut plurimum clausa erat, ut ambitu suo pectus, & ventrem undequaque contegeret. At saepe in lateribus aperta erat, ut nonnisi cingulo clauderetur. Inerat etiam huic tuniculae aliqua dignitatis ratio, nam video Bacchi Sacerdotriam pene attonitam, & Cistam afferentem, quae super longam tunicam aliam gerit tuni-

tuniculam ad genua portenſam, iterumque alteram breviorem ſuccinctam, quemadmodum oſtendit Fig. 17., quae veſtium reduplicatio ad myſteria certe pertinebat, quarum tamen veſtium ratio, & nomina nos latent.

Ad officium quoque ſpectabant mantilia quaedam humeris ſuperinjecta, & fibulis conſtricta, quae pectus, & humeros circumirent. Horum alterum fuit ex unico panno circa medium pervio, qua caput prodiret, ſed utraque pars, quae in pectus, & tergum diffluebat, lunata erat, ut anguli in undulatos fluxus reciderent. Adeas Fig. 18., &. 19. Hoc geſtamine ornatur Minerva apud Dempſterium Tab. VI., & alibi Dea Cithariſtria, quibus tamen in locis conſtat, veſtem hanc aliquando fuiſſe clauſam, ſed quaternis in partibus lunatam, ut angulos acutos conficeret. Forte Sindon omnino quadrata, quae in medio perforata eſſet, circumquaque demiſſa, angulis licet rectis, pulcherrimos illos deſcenſus efformaſſet. Mulieres Sacrificulae in marmore Ortano hoc genus velamenti deferunt, & Nymphae, quae choreas ducunt, quas divinus Raphael Urbinas e Thermis Titi excepit, & a Marco Antonio incidi curavit, & nuper novis formis a Sante Bartolo reſtitutae ſunt, unde colligimus, id genus veſtis ad ſacra quaedam pertinuiſſe.

Idem amiculus obſervatur in pluribus Muſei Etruſci Sigillis, & praeſertim Tomo I. Tab. XXV., XXX., & XXXI. At in Tab. XXXV., & XLVI. duos tantum angulos acutiſſimos format ſub dextero brachio, unde deſcendit. Ceterum reſtringitur admodum in faſciam undulatam, & bene criſpam in ſiniſtro latere, ut notamus Fig. 19., quod quidem velaminis genus conſtare debuit ex longiſſima, praetenui tela, in medio vehementer ſinuata, ut duos tantum acutos formaret angulos in extremis ſui partibus, ubi conjuncti, & ſpiſſe conrugati, & humero dextero impoſiti canaliculos illos efformarent, ut Fig. 20., & 21. Quem uſum haberent haec velamenta, ignotum nobis eſt; nec enim ad ſpeciem tantum concinnata videntur, quae nihil corpori tuendo contuliſſent, ſed ut brachium, & manus dextera ſub alis ejus veſtis obvelata ſacrum aliquid occultaret.


Occurrit ſaepe in feminis aliud amiculi genus, per quod pectus tantum, & humeri velarentur, apertum ex dextero humero, ubi fibula utramque partem conjungebat, ita tamen, ut quod ex panno ſupererat, deorſum diffueret. Iterum ſimili fibula conjungebatur ſuper humerum ſiniſtrum,

ſtrum, ita vero, ut panni medium sub brachio recurreret, & foramen, unde illud exereretur, efformaret. Formam expreſſimus Fig. 21. Hic amiculus non valde diſcrepat a ſuperiori, niſi quatenus ea pars, quae latus ſiniſtrum ambit, retracta in humerum, atque ibi colligata duplicem in pectore deſcenſum format, eumque venuſtiſſimum, ut Fig. 22., & 23.

Fuit denique velamen alterum, quo viri, & feminae in ſacris utebantur, mantile nempe longiſſimum, quod humeris impoſitum brachiis involvebant, unde extremitates volitabant, orbiculis aereis adjunctis in ſingulis angulis, ut magis compoſite deſcenderent, quod etiam obſervatur in pallis, togis, ac ſtolis potiſſime Etruſcorum. Velum hoc inductum fuiſſe puto, ut dum ſacra arcana tangi, aut circumferri oporteret, decentius tractarentur, aut velarentur, & revera ubi Picturas Bacchanales Centuria poſtrema exponemus, obſervabimus ſaepe ſaepius mulieres in pompis velatum quiddam efferre, quod illis pandere religioſum, nobis vero pudendum exſtitiſſet. Profecto uſus illius ſacer fuit, cum, niſi dum res divina agitur, obſervari non detur. De illo multa notavimus in Diſſertatione de Genio Domeſtico, occaſione Sigilli pulcherimi, qui eo velo adornatur.

Praetextae puerorum nihil meo judicio fuere, ut ſupra indicavi, quam oblongior pannus apertus, & in medio perforatus, ut Fig. 4. Eodem vero geſtamine utitur puella in Sigillo Etruſco apud Cl. Gorium Muſ. Etruſc. Tom. I. Tab. CI., & in alio Muſei mei. At aliquando pueri ſcapulari cucullato utebantur, ita clauſo, ut humeros, pectuſque protegeret, ut ibidem T. XLVII. & in ſubjecta imagine Fig. 24. Idem tegumentum alibi antrorſum apertum eſt, ut in eodem Libro T.XCVIII., & in noſtra Tabula Fig. 25. Demum Muſ. Etruſc. Tom. III. P. II. Tab. XV., & XXII. obſervatur caetus Puellarum nuptias comitantium, quae eodem ſcapulari ſupra tunicam utuntur hinc inde in acutum deſinente, ut Fig. 26., quibus quidem imaginibus advertens putavi, Sigilla praefata hoc habitu induta nil referre, niſi Deos, Deaſque Puerorum Cuſtodes, & infantiae praeſides, qui veſte quidem puerili aetati, quam tutabantur, conveniente, eaque quin etiam eorum quodammodo muneri reſpondente induerentur. Quare, ſparſim jam recenſitis huc uſque ſingulis Etruſcarum Veſtium generibus, earum nunc uno loco collectarum, & quidem

dem veluti in ſuas partes reſectarum expreſſa utcumque, ſeu potius adumbrata per nos ſchemata heic ſub oculos ponere libuit:



Mirabitur forte aliquis, in hac Tractatiuncula propria veſtium nomina me neglexiſſe. Sed rem Etruſcam tractamus, cujus nuncupationes ignotae nobis ſunt. Quid niſi Romanam? Etenim rem veſtiariam adeo implicatam invenimus, ut multorum nominum veras ſignificationes ignoremus, & contra nomina veſtium, quae in antiquitate obſervantur, magna ex parte neſciamus, earum praeſertim, quae ad rem ſacram ſpectant. Primordia ſunt haec Etruſcae Antiquitatis, quae exemplis magis, rectaque ordinatione Monumentorum, quam acutis diſputationibus, aliquantulum, quod ſatis eſt, provehuntur.

DE PICTURA ETRUSCORUM *DISSERTATIO.*



Uum Etruſcarum Antiquitatum copiam, & dignitatem admirabundus contemplor, qua amore rei patriae (nam & ego in Etruria natus ſum) qua rei magnitudine perculſus laudare non deſino Cives optimos, qui brevi annorum ſpatio tam ingentem rerum adparatum produxere, atque in illum inluſtrandum operam impenderunt, ut eos propemodum in caelum efferam, nullaque profecto invidia, aut aemulatio eſt, nullaque contentio, quae nos aliquando pupugerit, quae animum meum ab illorum admiratione retraxerit, quum privatae ambitioni communem gentis gloriam mihi conſtitui fore praeferendam. Igitur illorum laudi tribuendum eſt, hanc partem Antiquitatis numero monumentorum Graecae Antiquitati non cedere, & ſi Romanae conferatur, comparationis non poeniteat.

Eſt tamen, in quo utramque exſuperet, nempe Pictura, nam conſumptis penitus, nomine tenus, Graecorum Tabulis, paucis vero ſuperſtitibus, & in diem fugientibus Romanae Picturae veſtigiis, Thuſcia noſtra decennali, nec amplius ſpatio quingenta fere Vaſa delineata in unum contulit, & plura in dies cumulat, quae arte perenni encauſto depicta vividam adhuc ſpirant juventutem, in quibus mores Nationis conſignati librorum omnium interitum demonſtratione compenſant. Qua in re nulla eſt antiqua Natio, quae noſtrae comparetur. Non equidem ibo inficias, paucula illa Romanae Picturae fragmenta longe noſtris artificio praeſtare. At quis ignorat, potentiſſimos civium, ac Principes ad Sepulcra, & Thermas ſumptuoſiſſimas depingendas ſummos Artifices delegiſſe? Contra ad haec fictilia Vaſa excolenda humilioris notae Pictores, & artis tirones admittebantur. Sed hoc eſt, ex quo Picturae Etruſcae dignitatem efferamus; Nam ſi vulgus Artificum apud illos tam ſcite, tam belle, tamque ſapienter, & manu feſtinante,

te, ac properante ſine ſtudio conceptus exprimebat, & vix tumultuario lineae extimae ductu adeo praeſtabant, quid putemus feciſſe optimos, qui ad Templa, aedeſque publicas exornandas ſeligebantur?

Eſt & aliud, ex quo Picturae Etruſcae excellentiam admiremur, difficultas nempe, in qua Profeſſores verſabantur, qui ſine coloris varietate, & ſine auxilio lucis, & umbrae audacter extemporanea circumlitione imagines educebant; nam colorum varietas, praeterquam quod multum oculis imponit, maximi auxilii eſt ad Picturae partes ſegregandas, praeſertim ubi in actionibus actuoſis multae ſimul imagines glomerantur, atque ſuperponuntur, quum ad ſingulas in propriis actionibus diſcernendas maximo ingenio, & artis peritia opus ſit, ubi unico tantum atramento res agitur, quum contra, ubi multiplex color in uſu eſt, diverſitate tincturae figurae ſingulae in ipſamet maſſa conglobatae facillime diſcernuntur. Hoc genus Picturae, quae Graecis μονοκρώματος dicitur, aliquid etiam auxilii ſortitur a diverſo tincturae gradu, cujus dilutiore lineamento corpora a corporibus diſgregantur, & removentur. At Pictores noſtri in ſummo artis periculo verſari voluerunt, & fidentiſſime unico tantum, & ſpiſſo colore contenti, nec vel minimum attenuato globos illos imaginum complexi ſunt, ut unaquaeque, etſi modica ſui parte conſpicua, actionem exprimat, atque paſſionem, quin ab aliarum tumultu confundatur. An ne id colorum inopia, & ignoratione praeſtiterunt? Nuſquam rerum. Habuere nigrum ſaturum, nigrum dilutum; & rufum habuere candidum ſplendidiſſimum; immo aureum, &, quod fidem ſuperat, purpureum, qui ignis tormento perficiebatur. Ut Vaſa, quae Neapoli in Bibliotheca Congregationis Oratorii adſervantur, & quae in Britanniam tranſtulit Dominus de Hammondius, & paucula Muſei noſtri citra dubium oſtendunt. Cum mixtura alios etiam ad manus habuiſſent; & uno caeruleo excepto, quo caruere, ex quo viridem compoſuiſſent additione crocei, omnium colorum elementa calluerunt. At hiſce fucis plerumque poſthabitis, uno terrae colore nativo, qui carneus eſt, retento, atque nigro adjecto, per quamdam artis fiduciam audenter pingere praetulerunt.

Putavit inter prima hujus ſtudii rudimenta Clariſſimus Bonarotius, Etruſcos Artifices coloratas terrae cruſtas tenuiſſimas ſuperpoſuiſſe Vaſculis adhuc crudis, quarum abraſione colores ex ingenio detegerentur, ut Picturam quodammodo referrent. In ea quoque fuiſſem ſen-

tentia, nisi plura, quae postea emerserunt, contrarium suasissent; Et re vera niger encausticus, qui firmior est, terrae salibus restitit, at contra partes Vasorum nudae aliquando corrosionem aliquam passae sunt, ut opinioni summi illius Viri patrocinentur. Sed id argillae vitio vel tenuvioris, vel non rite subactae tribuendum est, cum ceteroquin Vasorum superficies etiam sine colorum lorica intacta sit, & aeque splendens. Quidquid vero nigrum est, ad novae argillae superpositionem referri non potest; nulla enim est argilla colorata, quae in fornacem injecta colorem servet, sed ad mineralia, & metallorum calcinationes recurrendum est, ut experimento comprobatur. Constat enim, nigrum ex Lapide Magnesio, qui multus est in Montibus Feretranis, praeparari, qui fornace excoctus, additoque plumbo cum aliquo magisterio, in atramentum dissolvitur, & pennicillo, ut ceteri colores, adhibetur. Hoc igitur Etrusci figuras circuibant, & quod intererat spatii, penitus tingebant, ut figura ex colore nativo Vasis constaret, in qua tenuissimos tractus scite admodum, sed properanter ducebant, ut corporis partes, & vestium descensus, sinusque venustissime indicarent. Hac ratione ex colore praedominante Vasa Etrusca rite possunt nigra appellari, quamquam fasciolas frequentes habeant, a quibus atramentum abstinuit, ubi echinos, coronas, hederas, aliaque ornamenta minutissime pari colore referebant. In multis ampliores fasciae ex ingenuo terrae colore relictae sunt, in quibus nigras figuras retulerunt, ita tamen, ut opportunis in locis lineolas ex proprio terrae colore vacuas relinquerent, ut tractus vestium, & partes internas cujusque figurae indicarent, in quo quidem maximo studio, & labore opus fuit, ne quid atramentum perturbaret, ubi extimas, & intimas lineas ducerent. Albus color constat ex calcina stamni, addita particula plumbi, ne penitus diffluat. Ruber vero fit ex calchanto excocto cum plumbo, qui tamen opacum colorem reddit, seu potius, ut Plinio placuit, ex aere Cyprio cum plumbo, quo magisterio usos fuisse dicit Artifices ad purpurae limbos in Statuis exprimendos. Haec tamen praeparatio diu ignorata iterum restituta fuit ab Horatio Fontana Urbinate, qui Picturam caeramicam duobus ab hinc saeculis sub Guidone Ubaldo II. Principe, Patriae Parente maxime evexit, ut placet Bernardino Baldio Urbinati in Elogio Patriae suae, & Crescimbenio in Descriptione Musei Stroziani inter Prosas Arcadiae. At pace tentorum Virorum, color iste roseus,

ſeus, & perſpicuus, ut minime tegat lineamenta ſubjecta, antiquior fuit apud Artifices Metaurenſes, qui Piſauri officinas caeramicas, quas laudat Garzonius in Emporio Univerſali, coluere; Nam habeo apud me Vaſa, & Patinas auſteriori ſtilo, & antiquiore pictas, quae miro hoc colore perquam ſplendidiſſimo fulgent. Ad flavum vero adhibetur genus quoddam Ocrae, & ipſum ſemimetallicum, quod prae ceteris colorem ſuum in fornace conſervat, quum cetera adſpectum mutent, veluti in alumine, quod in caeruleum degenerat, qui duo colores viridem per gradus varios eliciunt, quamquam pulcherrimus, & perſpicuus, qui aeruginis colorem imitatur ex cupro chymice praeparato fiat, & raminam in officinis appellant.

His vero neglectis auxiliis, Pictores Thuſci innixi penitus peritiae delineationis, mirum eſt, quantam vim imaginibus indiderint, & paſſionum expreſſionem. Quod enim alii craſſioribus umbris praeſtiterunt, ex dilutione atramenti leniter declinantis, & ſenſim evaneſcentis hi majore preſſione lineae, aut attenuatione ejuſdem ſenſim fugientis cavitates, & proſtantia in lucem corpora extulerunt, & muſculorum actuoſorum ſubſultus, & concitationes expreſſerunt. In qua quidem arte ſuperioribus ſaeculis maxime excelluit Johannes Bologna, cujus ſchemata ligneis formis excuſſa inter Artis magiſteria computantur. Nullae in eis, niſi parcae umbrae, quae inter nos partes inficiant, & plerumque ſolo ambitu extimo, & membrorum limitibus figurae conſtant. At lineolis modo acrioribus, modo tenuiſſimis, ac pene fugientibus tantam vim addidit ſcitiſſimus Pictor, ut haec differentia tractuum luminibus, & umbris reſpondeat; quapropter artus corporis vigoris pleni, ac riſilientes ſola moroſitate atramenti tardioris mirabiliter excitantur. Quam qui neſciunt artem, prodigalitate quadam umbrarum praeſtare ſtudent, intra quarum ambages difficiliora lineamenta confundunt, & contegunt; & dum contrapoſitione luminis vehementis imperitorum admirationem uſurpant, artis ignorantiam callide occultant.

Aliud quoque artificium, quo uſi ſunt in compoſitione, &, ut ita dicam, nexu plurium imaginum, illorum intelligentiam demonſtrat. Id praeſertim obſervatur in Tabula illa elegantiſſima, quam ſuo loco producturi ſumus, ubi Martis cum Diomede pugna, & apud Jovem Martis vulnerati querelae expreſſae ſunt, conſertis in brevi ſpatio Diis pluribus, in quorum ſingulis paſſiones variae, & motiones diverſae obſervantur,

 tur,

tur, quin ulla imago quidquam alteri detrahat. Ordo continuatus imaginum eurithmiam ſervat, interjectis quibuſdam ſpatiolis ad integritatem figurarum, ut cujuslibet actio exprimatur, nec quidpiam ſit otioſum.

Haec ſummatim dicta ſint ad Pictorum Etruſcorum peritiam intelligendam; Nunc de proprio illorum charactere aliqua delibanda ſunt. Qui fuerit Etruſcae Picturae ſtilus ex caeli natura adſequemur, nam hominum vis imaginaria a climatis indole motus quoſdam varios recipit, atque impulſus, qui organa varie diſponunt, in quibus animae actiones exercentur. Gelidarum regionum Pictores fibras ſortiti validiores motus animae patiuntur aſperiores, quibus adſueſcens phantaſia, quidquid exprimit, violentum ſpirat, & ferreum. Itaque horreſco Veneres Belgicas, quas nemo depereat, niſi Mars, & Vulcanus, ut Paridem aliquando judicii paeniteat. Hujus nationis, & circumſtantium Pictores, alioqui in eodem ſtilo excellentes, vim quamdam naturae addiderunt, & violentos quoſdam exprimendarum paſſionum modos, quos illa clementior ignorat, & reſpuit, &, niſi ſibi vim faciat, imitari non poteſt. Ex quo fit, ut qui ea opera tam a vero aliena contemplatur, paſſionem expreſſam praeter naturae modum minime animo concipiat, & Picturae finis fruſtretur. Tranſiit ad noſtros, caelo alioquin repugnante, alieni climatis corruptela, qui grande quidpiam Picturae Italicae ſibi addere viſi ſunt, ſi naturam perpetuo concitarent, ut nihil quietum exprimeret, & quod perturbatione violenta artuum non careret. In quo quidem vitio excelluit Pictor Urbinas Thaddaeus Zuccarius, Pictor alioqui magni nominis, qui, poſthabita Concivis ſui Raphaelis Sanctii divina ſimplicitate, Sarmaticos in Schola Italica induxit modos, terribilemque viam admirabilis Bonarotii, in quam ille ferebatur, miſerrime exaſperavit.

At contra Aegyptus, & Oriens dono caeli mollioris ſemper flacceſcens pacatiorem, atque ſtatarium Picturae ſtilum adinvenit, unde earum Gentium ſimulacra ligneum quiddam, & ſiccum ſpirant; & quamquam ſymmetriae legibus non repugnent, ſtupidum tamen quid reddunt, nec ullis umquam, vel levibus actionibus exprimendis adſueſcunt. Quidquid Syria, quidquid Palmyra, quidquid Perſia ſculpturae hucuſque protulit (in qua poſtrema Regione fabuloſo cuidam Heroi *Ronſtat* tribuuntur, quaecumque in rupibus exciſa ſunt) ex Schola Aegyptia proceſſiſſe reputantur.

At

At non ita regiones mediae, quae sui indole temperantissima ea nutriunt ingenia, quae embrionibus, quas producunt, tantam vim addunt, quantum natura communiter exigit in ea actione cum dignitate exprimenda; nihil detrahunt, quo ipsa ad torporem declinet, nihil obtrudunt, quo quid violentum sapiat; quae extrema a veritate declinant, in cujus imitatione tota Pictura versatur. Nec quaelibet veritas Picturae satisfacit; nam in illa, quae multa est, atque varia, lectissimas semper, & omnium pulcherrimas formas sibi imitandas praescribit, unde venustas picturae, & gratia coalescit.

Hoc propemodum fuit Etruscae Picturae institutum, hic modus sibi proprius, hic stilus. In promptu sunt exempla, quae subsequuntur, ut omnem jactantiae notam ab hoc judicio repellant. Exemplo utar, quo clarior fiam. Adeamus Tab. CLXI. Musei Etrusci Tom. I., ubi Vasis Aegyptii Pictura clanculum inrepsit inter Etruscas. Sat Cynocephalus super cippo, & rictu suo sacrificium exspectat; contra Sacrificulus totus rigens, pedibusque paribus, compositus in stipitem, abaco scyphos offert. Hunc eumdem religionis actum expressit Belga Martinus Vossius. Ardet Ara quinque accensis torribus, qui tantum verticem fumi diffundunt, ut quod supra caeli est, longe, lateque inficiatur. Est, qui agniculum in focum indat; at totis connixus viribus ita artus contorquet, ita brachia defatigat, ita cruribus innititur, ut non victimam, sed aram ipsam comportare videatur. Quid plura? Terram adeo calcat, ut illa depressa pedum digitos sursum repandos, quasi vestigium non aeque depresserint, in altum adtollat. At Pictor Etruscus rem plenam quietis aliter expressit Tab. LXXXVI. Ante Sacrorum Cistam recta consistit nudus adolescens, nisi qua peplum negligenter collectum e sinistro brachio sinit diffluere. Dexteram otiosam leniter super latus incurvat, ne qua pars careat actione. Sinistra lancem cum donis adtollens dextero cruri totus innititur, cujus planta in centro ponderis defixa est, quo linea directionis e jugulo descendens dirigitur. Alterum ejus crus quiescens molliter retrocedit, & vix summo digito terram premit. Lumbi a dextera circumaguntur in laevam, ut viscerum pondus in eam partem declinet, ubi minus substentatur, rursusque thorax circuit in dexteram, ut solidior pars corporis eo innitatur, ubi crure fulcitur. Haec artuum contrapositio rationi obediens, & naturae imitatrix, quam appellant gratiam motionis, in omnibus fere Etruscorum

ſcorum imaginibus, quantumvis quieſcentibus, atque vacuis, invenies, ut, ubi actio totalis deficiat, ſuppleat partialis, & artus corporis in aliqua actione ſint, quibus ipſum otium cum dignitate excitetur.

In animi perturbationibus ſignificandis non naturam modo imitati ſunt, ſed mores cuique ſtatui maxime convenientes. Vide, ſi libeat, initialibus Tabulis depictas Jovis cum Junone Nuptias, in quibus nil fuſum, nil humile, ſed actio cupiditatis plena circumfunditur majeſtate.

Sedet ſeorſim Jupiter, qui in Junonem ex adverſo ſedentem converſus, blande ſubridens horam adeſſe nunciat. Illa e converſo ſpeculum illi obiiciens, & arculam mundi muliebris, veluti nondum ſatis ornata, moras nectit, ut in ſponſa ſororem videas. Alibi ſponſa ex humero tunicam ſibi diſſoluit, ſed vultu ita demiſſo, ut pudor cum lege pugnare videatur. Sedet alia in Tab. XXXV. omni cultu exornata, ſed maerens, & pene dejectis brachiis animi deſolationem teſtatur. At pronuba elata manu ipſam ſolatur; Lar familiaris imperioſe jubet, eam in thalamum prodire, ut familia ſibi credita adventu ſobolis perennetur. Amor circa volitans puerili conſilio munuſculis illi blanditur, & guttum balſami illi offert, quod iterum videas T. XXXVII.

Mentem divino ſtupore correptam videas in Baccha Tab. CCCX., in qua Pictor per oppoſitas vias ſacrum furorem expreſſit. Stat Sacerdotria Chariatidum in morem tenſa, & immobilis, Ciſtamque ſacram adtollens, illam attonita contemplatur, & veluti caelitus adflata manum dexteram ſupra caput adtollit, tamquam adventante Numine obſtupeſcat. Simili artificio praeſtat Muſa Tab. VII., quae in Herculis Nuptiis Epithalamion canit. Immobilis & ipſa, ac tota peplo involuta, brachiiſque ſupra pectus cancellatis, Apollinem rigida intuetur, mentiſque abſtractionem in unum carmen intentam manifeſtiſſime profitetur.

Animum ſacro intentum, & religione perculſum oſtendit puella, quae matri ſacrificanti diſcum cum mola adminiſtrat Tab. XXI. Lentis incedit paſſibus tota compoſita, oculoſque in mola defixos habet, ne quid minimum decidat, & omen perturbet.

Ad timorem virginis explicandum, dum Lapithae, & Centauri bellum conferunt Tab. XI., illam non modo fugientem depinxit Artifex; ſed a muliere ſibi occurrente in ulnis exceptam, & confirmatam, dum altera mulier proſilit e conclavi, ut quodammodo clamorem exaudiſſe videatur.

Triſti-

Triſtitia, & dolor, veluti quae in animo continentur, neque actionibus actuoſis ſignificantur, praecipue in minutis imaginibus miro modo a noſtris Pictoribus exprimuntur. Tab. CCCLXXXI. plena maeroris viros, feminaſque repraeſentat ejulantes, & parentantes circa ſepulcrum. In ejus crepidine juvenis pileatus, dolore dejectus ſedet, qui abjecto in genua ſiniſtro brachio, alteroque cadentem vultum ſubſtinens columnam ſepulcralem miſerabiliter intuetur. Quid triſtius Tab. CCCXC.? Thetis dolore perculſa ſedet in ſella, cujus fulcro cubitum imponens, caput nutans regit, & Achillem mortuum in ſinu jacentem lamentabiliter intuetur. Dii circum dolent, dum interim ſupra caput Victoria quadrigam agitat, qua defuncti animam in caelum efferens ſub ipſis oculis matris ejus dolorem leniat.

Somnus vehementi quodam ſtilo ſignificatur Tab. CXXXII. In ea miles clypeo protectus ſiniſtro genu, & cure humi dejecto, ſuper illud decumbit; at ne prorruat, hinc genu dextero ſublato, & clypeo ſubnixus ita dormit, ut; ſigno dato, promptiſſime exſiliat.

Quin & Ulyſſis dolus, quum Iphygeniam a matre abduci curat, cum Agamemnone mirabiliter expreſſus eſt in Tab. XIII. Hic armatus majeſtatem ſpirat. Senex Ulyſſes curvus, & pallio caput coopertus manum portendit in Agamemnonem, filiam traduci poſtulans. At doli inſcia Clytemneſtra laetabunda, jam ſe ad filiae Nuptias parat, caputque velat, veluti ſacrificium Nuptiale factura. Sponſa contra praeſto eſt, atque uti delicatula, ſeſe a Solis radiis umbella protegit.

In tripudiis, & Bacchanalibus referendis, quorum ſeriem jam in ſequentium Voluminum Tabulis ordinavimus, utpote actiones, quae ab extrema corporis, & animi perturbatione proficiſcuntur, & propterea exigunt a Pictore motiones omnium vehementiſſimas, Etruſci noſtri maximum artis periculum fecere feliciſſimo eventu. Ea ſchemata nobis objiciunt ultimos conatus naturae humana corpora commoventis, uſquequo ſtatica corporea patitur, & propterea omnium difficillimos, praeterea ſemper varios, varioque ſemper adſpectu, plerumque obliquo depictos, in quo praeſtando proſpectivam corpoream, quam nullis umquam legibus Geometria complexa eſt, oportet illos calluiſſe; Alioquin tam varias, tam arduas, & tam bene expreſſas humani capitis declinationes, quae motu inſenſibili notabiliter variantur, exprimere non potuiſſent. Sed in ipſis violentiſſimis motibus eſt ine-

inexplicabilis gratia cum veritate conjuncta, quod ut adſequerentur ſcitiſſimi Artifices, adoleſcentulorum, & mulierum perfectiſſimas formas ad haec Bacchanalia referenda ſelegerunt, in quibus ipſe furor venuſtatem ſpirat, nec umquam a lepore disjungitur. Adhibuere libenter & Satyriſcos, in quibus rudis illa ſimplicitas, & incompta actionum imitatio Picturam variat, & praeter modum exhilerat. Eſt praeterea in his magna antiquitatis inſtructio, cum videamus, quo cultu, qua veſte, quibuſve moribus haec Feſta agerentur ad veri ſimilitudinem, ut ſi Picturae hae cum Marmoribus ejuſdem notae conferantur, fateri cogamur, multo uberiora, quae in Sarcophagis deſiderantur, Vaſcula noſtra praeſtare, ut quum in lucem venerint, nobiſcum omnes fatebuntur.

Non longe abeunt fabuloſa certamina expreſſa Tab. CLI., CLIII., CLVII., CLVIII., CLIX., CCLXIV., & CCCLXX., in quibus humana corpora in vitae diſcrimine conſtituta in eos motus excitantur, quorum natura capax eſt in extremo periculo conſtituta, ſimul contendens duplici, ac diverſa actione, ut ſeſe tueatur, & adverſarium proſternat. Micat igitur in his ſchematibus extrema audacia, ſimulque cautiſſima, in quo praeſtando Pictorum ingenium mire clareſcit. Sed nullibi magis, quam in Tabul. CCCCIX.; Pugnat ibi Mars cum Diomede, ut refert Homer. Il. ζ paribus armis, interpoſita Pallade, quae ſeſe Diomedi conjunxit, ſed multo magis ambobus munita. Par erat igitur, ut contra ipſam longe potentiorem Mars inrueret; at, illa poſthabita, in Diomedem inſilit. Anne incuria Pictoris? Immo ex induſtria, quippe qui ex Homero didicerat, Minervam in eo conflictu ſumpta Orci galea, inviſibilem ſeſe reddidiſſe. A tergo Priamus palliatus, ſolo ſceptro munitus manum extollit, & Diomedem confirmat. E converſo Martem accendit Victoria, Dea Deum, lateri inhaerens, & coronam adtollens, illum ſpe muneris erigit, ut graviter pugnet. Omnium ultimus Auriga Deorum conflictum veritus, neque illis vel minime intermixtus, ſervili ſtudio e longe lanceam intorquet. In adverſo latere fabula abſolvitur apud Jovem, ad quem Mars in eo diſcrimine vulneratus querelas detulit. Jupiter coronatus ſedet pro ſui dignitate ſuper aram, & ſceptrum ſiniſtra oſtentat. In ejus conſpectu Mars e quadriga dilapſus, detractaque ſibi in obſequii ſignum galea, quam ejus armiger ſubſtinet, pacatus, & placidus ſiſtitur, dum ſolus Auriga currui adhuc inſidens equorum habenas regit. Jupiter indignabundus pro

re

re male gesta dexteram ita extendit in Martem, ut illum quodammodo ejicere e conspectu, & ad Paeonem Medicum curandum dimittere videatur. At ille verecundia tactus Jovi indignanti terga vertit, & sinistra elata, de infortunio conqueritur. Ejus vero armiger, qui galeam substinet, conversus in Jovem illam ostendit, ac si dicat, Deum suum vulneratum quidem, sed fortiter pugnando e bello excessisse. Demum sub porticu videas Paeonem sedentem, qui Martem iterum galeatum benigne excipit, & juncta dextera consolatur, dum sinistra elata, edicere videtur, qua ratione vulnus curandum sit. Quid ultra? Videas Martem vulneris, & morae impatientem, qui iterum in bellum festinans laeva tubam stringit, & eo signo Medicum exorat, ut ipsum quantocius absolvat, imminere enim sibi necessitatem, ut in bellum iterum redeat, & vices rependat. Hoc genus Picturae loquela est; & si modo nomina abjicias, omnium animos, omnium sermones, omnium consilia, non tantum fabulam adsequeris; quod an artis summam excellentiam, & ad ultimum perfectionis evectam referendum sit, judicent hi, qui in hujusmodi rerum complexionibus morate exprimendis ingenium maxime defatigant.

Est & aliud artificium, quod artem apud Etruscos longe provectam evincit; idque non inani speculatione, sed exemplis manifestissime comprobatur. Ea Picturae indoles est, ut res, & actiones loco diversas confundere pro libito valeat; non ita tamen tempora; nam actio Picturae instantanea est, atque unico temporis momento circumscribitur, & finitur, quin actus successivos exprimere valeat. Hanc tamen legem ingenio suo fugere Artifices illi, qui in unica actione, illaque individua non tantum praesens, sed quod praeteriit, & quod futurum est, indicare valuerunt. Hoc artificio praestat Tabula proxime memorata, ubi in unica figurae Martis dispositione & descensus e quadriga, & conquestio apud Jovem, & ejus indignatio, simul & illius verecundia, & recessus ad vivum exprimitur. Insuper T. XI., & XII., ubi Pyrrithoi Nuptiae, & cum Centauris pugna delineatur, ille cum Theseo conjunctus clava, & bipenne Eurytum adgreditur. Ut vero Pictor significaret certamen jamdiu incaluisse, & pridem agitatum esse, jacet humi confracta hydria, quae priore conflictu dejecta erat. Hoc eodem artificio usus est Caratius, qui Bononiae in Benedictinorum Claustro incendium pinxit, qui sollicitudini eorum, qui flammas diuturnas restinguebant, tempus praeteritum

 junxit

junxit, dejectis humi confractis situlis, & de longe venientibus aquariolis, ut quod futurum erat, uno adparatu demonstraret. Sic T. CXXXIV. tempus futurum significatur, in quo Lar Vialis, tamquam itineri faciundo dispositus, sibi caligas viatorias substringit. Praeterea in fabula Iphygeniae citata Tab. XIII., dum Ulysses dolum orditur, & Clytemnestra cum Nata sponsum exspectat, columna erecta est cum simulacro Dianae, quo parergo Pictor subindicavit, quo fabula tenderet, ut nempe regia virgo per machinationem divulsa sacrificio infando mactaretur.

Sunt etiam exempla in hisce Tabulis omnium certe antiquissima, & propterea maximae auctoritatis, quibus Anachronismum in Pictura, veluti quandoque necessarium, defendamus. Tabula III. Lares, qui diu post Jovis Nuptias nati sunt, ut stemus fabulis, ipsis Nuptiis adsistunt. Iisdem adstat Bacchus Tabula VI., licet nondum natus. At hae Nuptiae symbolicae sunt, per quas Proceribus Etruriae auspicatissimae augurabantur. Ut vero omen cresceret, Dii omnes Nuptiales intermiscentur nullo aetatis discrimine, Lares praesertim, qui familiae suae eventibus praesidebant.

Antitopaeja quoque, hoc est transpositio fabulae de loco ad locum pro opportunitate Pictoris observatur in praefata Tab. XIII. Constat enim, Ulyssem tecnas suas texuisse cum Agamemnone in Aulide pro Iphygenia abducenda, litteras vero doli plenas missas fuisse Mycaenas, quae Virginem accersirent. At Pictor, ut fabulam totam complecteretur in uno, ac brevi spatiolo, utramque actionem conjunxit, non oscitanter quidem, ut multi faciunt, sed quadam necessitate ad historiae perspicuitatem.

Quae fuerit apud Thuscos illa Picturae pars, quae versatur circa campum adornandum, in quo figurae conlocantur, profecto ignoramus; nam in hisce Picturis tam imagines inferioris ordinis, quam quae supra sunt, in monochromate versantur. Nihilominus indicia supersunt, quae persuadeant, Etruscos id etiam officium Picturae calluisse, praesertim ubi udo tectorio depingerent, quod fortasse Picturae ceramicae non conveniebat, ne imaginum exilitas cum hisce additamentis confunderetur ob aequalitatem tincturae, quam diluere non solebant, ut remota a proximis disjungerentur. Ubi vero multiplici colore, ac dilutione res agenda esset, adhibito artificio lucis, & umbrae, jam nullus dubito, quin spatia, & areas convenienter implere non valerent. Sunt in istis Vasculis lineae quaedam, & terrae tractus saxis,

ſaxis, ſcopulis, herbis, arbuſculis eleganter luxuriantibus, floribuſque pulcherrimis refertiſſimae ſub linea orizontali conſtitutis, quae ſi libuiſſet, dilutiore atramento, & ſenſim fugiente reiterari gradatim in punctum altiorem potuiſſent. Sed genius ſaeculi, unde mercimonium normam recipit, facilitas operis, tenuitas pretii, & quod caput eſt, hujus Picturae natura fucos hoſce reſpuebat. Hinc cum Deos in altum locarent, numquam refugium habuere ad nubium globos, quarum nec veſtigium quidem eſt in his Tabulis, & fortaſſe in tota Antiquitate, ſed illis ſtravere veſtium globos ad imaginem pulvinaris. Cum vero hominum imagines in altum locare vellent, veluti in loco magis diſtanti, ſub illarum pedibus lineas quaſdam ex globulis efformarunt, in quibus conſiſterent.

Proſpectivae leges, ſeu ſaltem praxim mechanicam oculis ducibus calluere, ut ſaepe in Notis obſervavimus. Intellexere imprimis, qua lege corpora recedentia a linea ſectionis pro modo diſtantiae attenuentur, & ſenſim ad proſpectivae punctum adtollantur, ut liquet ex Tab. XXXV., & XXXVI., in qua puellarum ſchemata aliquantum diſtantia ſupra lineam plani conlocatae ſunt.

Proſpectivam vero Architectonicam peritiſſime tractarunt; nam corpora regularia, ut pateras, & diſcos ita obliquarunt, quantum peritiſſimus quiſque noſtrae aetatis praeſumeret. Alicubi videas arculas cubicas ita ſcientifice declinatas, expreſſo quoque anguli occulti fulcro, ut ſi lineas viſuales ad punctum proſpectivae ducas, artis legibus reſpondere non haeſitabis. Centies praeterea invenias ſacella aperta, quorum interior contignatio in punctum viſuale recte collimat, quo artificio plana illa ſuperficies tertiam dimenſionem recipit, nempe profunditatem, quae neceſſaria erat ad figuras interius opportune conlocandas. An ipſi lineam diſtantiae obſervaverint ad corporum receſſum determinandum, cum in hiſce Picturis abſolvendis properarent, profecto neſcio. Quin puto illos oculo duce penicillum tractaſſe; ſed ex hoc illorum intelligentiam arguimus, cum ſine optimis exemplaribus, ex quibus oculus perfectioni adſueſceret, manu feſtinante ideas haſce exſequi non potuiſſent.

Pannorum compoſitionem venuſtiſſime tractarunt. Nihil in iſtis, ut hodie ſolet, arbitrarium, atque fortuitum, ſed plicae omnes, canaliculi, deſcenſus, receſſus, ſinus, umbones, anguli, fluxuſque ratione ſua ita regulantur, ut ex neceſſitate procedant. Hinc Veſtium Etruſcarum for-

mas non modo intelligimus, ſed & diſſolvimus, & in plano conlocamus. In palliis, ac togis, ſagulisque militaribus, quae ſpiſſiores erant, rariores rugae obſervantur, ſed ſpatia ampliſſima multum lucis excipientia, quae maxime placuere magnificentiſſimo Pictorum Andreae Sartio, quem mihi videor videre in his Tabulis operam impendentem ſuam. At in tunicis feminarum, quas tenuiſſimas fuiſſe oportet, plicae exiliores, ac ſpiſſiores ſunt, quas ſenſim perturbant prominentes corporis partes, quibus obediunt, ut quodammodo ſub velo artificium humani corporis nudi obſervetur. Studioſae nimis, ac ſiccae reputantur ab imperitis extremitates illae panniculorum, quae in angulum deſcendentes undulatis, ac ſerpentibus hinc inde fimbriis determinantur. Nempe qui ita opinantur, ii ſunt, qui adſciſcunt ventos in auxilium Picturae, ut flatu omnia perturbent. At ſciant oportet, adhibuiſſe Etruſcos, immo & Romanos globos quoſdam ex aere unciales, quos in angulis panniculorum conlocabant, ut vi quadam pannum deprimentes compoſitionem illam, ut ita dicam, ſtriatam, quam ipſa natura producit, diligenter efformarent. Sunt apud me ex iſtis globulis perforatis admodum multi in ſepulcris in agro Firmano nuper effoſſis inventi, quos cum plurimis aliis antiquitatis veſtigiis habeo ex munificentia Nobiliſſimi, ac Ornatiſſimi Praeſulis Stephani Borgiae, quem hic, tum alibi honoris cauſſa commemoro.

Reſtat, ut Pictores aetatis noſtrae, & qui futuri ſunt, commonefaciam, ut cum illis haec Vaſa delineanda impoſterum offerentur, maxime caveant, ne ſenſum Picturae perturbent; etenim cum Viri docti ex hiſce ſchematibus judicium ferant, atque in illorum interpretatione deſudent, cum paucis datum ſit ipſa Vaſa intueri, corrupta rerum ſerie, ſtudium omne evaneſcit. Qua de re oportet imprimis, ut peritum in re Antiquaria adhibeant, cujus monitu, quae in Pictura continentur, intelligant. Quod praecipue in fabulis, & caeremoniis neceſſarium eſt, quibus ignoratis, turpiter deformabuntur, praecipue ubi diuturnitas temporis ſuos naevos induxit. Ejus conſilio veſtes, arma, parerga excipiant, nec, illorum ratione, & modo ignorato, quidquam delineent. Super omnia vultuum ideas retineant, ut ad fabulae intelligentiam ſpectatores inducant. Itaque quis ferat Urnam Etruſcam pulcherrimam, quae Tuderti in Palatio Centumvirali adſervatur, & certamen Pelopis cum Enomao repraeſentat, quam ego adoleſcens tam ſaepe prae operis elegan-

tia,

tia, & integritate admirabar, quis ferat, inquam, ab inſcito Pictore in pugnam Amazonum deformatam in Muſ.Etruſc.Tom.I.Tab.CXXXV.? In pluribus aliis, quae Peruſiae ſunt, ſacrificium Polyxenae ſculptum eſt. At in harum una apud Dempſter. Tab. XXXVII., in qua Virgo mactanda antiquitate exeſa erat, Pictor Virginis truncum in magnam hydriam foco imminentem convertit, quam ſi Sacrificulus paullatim in aram invergat, oportet ignem protinus reſtingui, atque omina turbari. Haec ſphalmata fucum doctis ingerunt, & ſcientiam fruſtrantur. Heu quam plura hujuſmodi commiſſa ſunt, quae latent, & ingenia miſerabiliter diſtrahunt, nec enim ſine maxima Antiquitatis peritia Pictorum errores diſcerni poſſunt ab iis, qui prototypon non viderunt, praecipue, cum de nova Antiquitatis provincia tractatur.

Praeterea dupliciter errant Pictores vel nimio ſtudio veritatis ſervandae, vel libidine quadam cuncta ſupplendi. Si in marmore digitus decidit, ſi naſus corruptus, ſi veſtis detrita, ſchema ſuum maculis implent, & cicatrizzant. Haec quidem moroſitas nihil confert ad ſcientiam, & ſchematiſmi nitorem obfuſcant. Haec per me libenter ſuppleant. Iterum ſi manus otioſa, ſi pes exeſus eſt, indicio veſtigii reſtituatur, ſi vero caput, cujus ideam ignoramus, ſi manus in actione diſpoſita, cujus vis latet, nihil Pictor ingenio tribuat, ſed nubeculam indat, niſi certo certius mentem antiqui Artificis adſequatur.

Caveant praeterea, ut proprium characterem Picturae, quam excipiunt, conſervent. Si excellens eſt, omni ſtudio ejus elegantiam referant, ſi rudis, ſi gracilis, & ſiccus, ſi depreſſior, & craſſus, eumdem ſtilum ſervent, nam haec diligentia multum confert ad aetatem operis diſcernendam. Si quid tamen in originali inſigniter peccatum eſt, ſi pes contortus, ſi altera manus longior, ſi alter humerus latior, quae, invito Pictore, inrepſerunt, molliter corrigat, ne tamen ſtilus turpiculus occultetur. Ita in Vaſe delineando, ſi una ex anſulis diſtorta ſit, cur vitium ſervet? At ſi corrupta, veſtigio adumbret. Veſtibus nil addat, quod antiquam actionem immutet, eſto durior ſit, & invenuſta, quam tamen ſi ſcite delineet citra injuriam veritatis, ſatis ornabit. Sunt in manu periti Pictoris modi quidam ducendorum tractuum, qui verbis exprimi non poſſunt, quibus adhibitis, rem alioqui rudem, nihil addendo pulcherrimam facit. Hoc beneficium praecipue cadit in illo delineandi genere, quod, poſthabito umbra-

umbrarum artificio, ſolis tractibus operam praeſtat, in quibus, quia ſimpliciſſimi ſunt, peritia Pictoris reſplendet. Scitus Artifex deformem Picturam imitatur & ſervata rei idea, pulchrum quiddam educit. Hoc praecipue praecavendum eſt in hiſce Vaſibus, in quibus circuitus faciei quandoque incaute ductus eſt, manu ad ulteriora properante. Sed in tenui illa adumbratione tanta ineſt ſignificatio, quantum ſufficiat Artifici ſtudioſo ad veritatem adornandam. Haec ſunt, quae de Pictura Etruſca artis pene inſcius notanda cenſui. Ceterum, qui hanc facultatem ſtudio, & uſu callent, multo plura artificia, quae me latuerunt, in hiſce Tabulis obſervabunt.



INDEX TABULARUM

Quae in hoc I. Volumine inlustrantur.

CLAS-

PICTU-



PICTURARUM ETRUSCORUM
IN VASCULIS
CLASSIS I.
CONTINENS
FABULAS NUPTIALES.

TAB. I. II. ET III.
JOVIS, ET JUNONIS NUPTIAE.



Sum Picturae in antiquorum ceramicam introduxit Philoſophia, ne & ipſa vulgaria utenſilia ad inſtruendos homines eſſent ſine documento. Hinc veterum hiſtoriae, & fabulae, quae olim pars hiſtoriae erant, pingi conſueverunt in Vaſculis, ut ex ipſis etiam adoleſcentia erudiretur. Horumce vero argumentorum maximus delectus eſt habitus, ut uſui Vaſorum reſponderent. Hinc Fabulae Nuptiales in Gameliis, fortiter geſta in iis, quae adoleſcentibus, cum togam ſumerent, mitti ſolebant; ſacra Deorum domeſticorum Vaſculis convivalibus convenire reputabant, ſepulcralibus Apotheoſes; omnia plena ſunt Religionibus, atque cum Diis familiaritate, & ut ita dicam, contubernio. Inter fabulas vero magnificentiores eligebant, quarum ſubſidio hominum geſta allegorice explicata mirum in modum nobilitabantur, ad exemplum Poetarum, qui hujuſmodi artificio ſublimitatis notam conſequun-

ſequuntur. Ecce igitur in primo hujus operis veſtibulo vaſa Nuptialia auguſtioribus fabulis exornata ex heroicis temporibus expetitis, aut, quod omnem ſuperat majeſtatem, in quibus Dii nubunt.

Vaſa Gamelia pro formae diverſitate variis uſibus adſignamus. Quae arcto collo, & validiore, ac rubuſtiore orificio praedita ſunt, inter Narthecia recenſemus ad unguenta, & odoramenta continenda, ut preſſioni operculi reſiſterent. Urceoli, ſitulae, & lagenae magis patulae ad aquam luſtralem, ſeu myſticam praeferendam in Pompa Nuptiali deſtinatae erant. Ex ejuſdem aquae uſu irrepſit formula: *Aqua, & igne uxorem accipere*. Praeferebatur vero in proceſſu Nuptiali: Val. Flac. Argon. VIII.

ignem Pollux, undamque jugalem
Praetulit,

& Serv. Aeneid. IV. 167., ubi de Nuptiis loquitur: *Unde hodie & faces praelucent, & aqua petita de fonte puro per feliciſſimum puerum aliquem, vel puellam intereſt Nuptiis, de qua Nubentibus ſolebant pedes lavari*. Multo tamen plura, atque ampliora erant Vaſa vinaria, quae ore patulo, unde vinum facilius exſciperetur, locari ſolebant in menſa Nuptiali ſuper *machinula incitega*. Virg. Aeneid. I. 728:

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant,

& VIII. 147.

Crateras laeti ſtatuunt, & vina coronant

& in Nuptiali adparatu Pirithoi apud Ovid. Metam XII. 235.:

Forte fuit juxta ſignis exſtantibus aſper
Antiquus Crater.

In iſtorum vero cenſu computamus hoc, & ſequentia Vaſa, quae in formam ingentis calicis, ſeu ſcyphi Bacchici formata ſunt.

In hoc priore Nuptiae Jovis, & Junonis delineatae ſunt; Jupiter enim legitimorum connubiorum auctor, & praeſes putabatur. Serv. in Eclog. VIII.; *Varro ſpargendarum nucum hanc dicit eſſe rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona ſit, ſicut Juno*. Erant praeterea Jupiter, & Juno inter Deos conjugales. Plutarc. Quaeſt. Rom. II. *Matrimonium contrahentes quinque Deorum ope indigere putabant, Jovis adulti, Junonis adultae, Veneris, Suadae, & Dianae. Ea Lucina eſt, quam parientes invocant*. In horum memoriam quinque faces accendebant, ut tradit Alex. ab Alex. D. Gen. lib. II. 5.: & Vivius in D. Auguſt.

guſt. de Civ. Dei lib. IV. 21. Invocabantur praeterea in Nuptiis Ceres, Bacchus, & Apollo. Virg. Aeneid. IV.

Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo.

Demum & Hymenaeus, de quo ſaepe Catullus, quos omnes deridet loco citato maximus Auguſtinus, & quorum nonnullos in hac pictura expreſſos obſervabimus.

In ſecunda Tabula ſedet priore in loco Jupiter adultus ſuperne nudus, inferne velatus, ut fere ſemper, quo ſe ſuperioribus ordinibus tantummodo notum eſſe indicabat, inferioribus occultum. Sceptro, & Patera, e qua nectar ſorbebat ad inſtaurandam divinitatem alioqui labentem, decoratur, & blande, ſed cum magna picturae dignitate, ſponſam Junonem intuetur.

Illa in Jovem converſa altera manu Theſaurum muliebrium ornamentorum adtollit ſymbolum Nuptiarum, altera ſpeculum, quo capitis cultum probet.

Medius intereſt Genius Junonis Paranynphus muliebri cultu caput redimitus, de quo alibi erit ſermo, qui ſpeculum alterum praeſefert Jovi ſponſo offerendum, ne incompto crine, quo Gygantas profligavit, ad Junonem accedat.

Subſunt Deae geminae, quae ſacrum Nuptiale parant. Horae facile ſunt, quae apud Theocritum in Europae Idyl. Jovi thalamum adornarunt:

Ζεὺς καὶ πάλιν ἑτέρην ἀνελάζετο μορφὴν,
Λῦσε δὲ οἱ μίτρην, καὶ οἱ λέχος ἔντυνον ὧραι.

Jupiter rurſus aliam adſumebat formam,
Solvitque ei Zonam, & illi lectum parabant Horae.

Harum una Taurum mactandum ducit. Haec hoſtia, ſi Rituales Etruſcos adeamus, Jovi maxime conveniebat. MANUE. HABETU. ESTU. JUKU. HABETU. JUPATER. SABE. ESTU. VITLU. RUFRU & Seneca in Medaea I. 59. Sacrificium Nuptiale deſcribens Taurum deſignat.

Primus ſceptriferis colla Tonantibus
Taurus celſa ferat tergore candido.

Superſunt etiam Anaglypha ſepulcralia pompam Nuptialem referentia, in qua inducitur Taurus ſacrificio praeparatus, quod Romae non uno in loco adnotavi. More quidem Etruſco ſacrificium Nuptiale ex Porco

 fieri

fieri ſolebat. Varr. de Re Ruſtica II. 4. *Nuptiarum initio antiqui Reges, ac ſublimes viri in Etruria in conjunctione Nuptiali nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant.* At diverſas fuiſſe puto victimas, pro Deorum, quibus tunc ſacrificabatur conditione. Itaque

pateram pulcherrimam Dido
Candentis vaccae media inter cornua fudit.

Pendet e pariete Cingulum Junonis virginale, quo innupta papillas comprimebat, a marito diſſolvendum. Tranſiit hic ritus ab immortalibus ad mortales, ut deinde Cinxiae Junoni a novis nuptis dedicaretur. Feſtus: *Cinxiae Junonis nomen ſacrum habebatur in Nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Uſurpavit id obſequium Diana, quae *Solvizonia* dicta eſt; Hoc diſcrimine inter Graecos, & Romanos, illi namque poſt puerperium, hi vero poſt Nuptias Dianae vinculum reſignabant.

Jovis Genius, ſive Cupido in Tab. III. volucer coronam ſolutam, qua fores ſponſi ornari ſolebant, praeſefert. Notandum, Genium hunc virili capillitio breviore ornatum eſſe, cum e contra Genius Junonis in praecedenti Tab. more femineo longiore capillo, & reticulo redimitus incedit.

Diana, ut praemiſimus, una e Deabus conjugalibus a tergo facem adtollit. Caput ornatum oſtentat Mitella baccis inſignibus ad inſtar radiorum referta. Ferulam ſuſtinet vittatam, Bacchicum inſigne, ſed in hiſce ſolemnitatibus ab omnibus Diis uſurpatum occulta ratione, non aliunde explicanda, quam e Ritualibus Etruſcorum, qui cum omnium auguſtiſſima Bacchi myſteria crederent, ea cum Diis ceteris honoris ergo communicabant, ut ex claſſe Bacchicarum Tabularum manifeſte patebit.

Tellus contra, quam alibi ex adtributis manifeſtiorem intuebimur, ſtans cum pari ferula calathum pomis onuſtum adtollit, quo propriis donis ſolemnes has Nuptias condecoret. Ipſa enim inter Deas conjugales cenſebatur. Virg. Aeneid. IV.

Prima, & Tellus, & pronuba Juno
Dant ſignum; Fulſere ignes, & conſcius aether
Connubii.

Ejus praeſentiam ex Etruſcorum diſciplina deducit Servius: *Satis perite*

te loquitur, nam secundum Etruscam disciplinam nil tam incongruum nubentibus, quam terrae motus, vel caeli dicitur. Ideo firmam, & stantem Tellurem, & Lunam hic conspicimus. Subiicit idem Servius: *Quidam sane Tellurem praeesse Nuptiis tradunt, nam & in auspiciis Nuptiarum vocatur; Cui etiam virgines vel cum ire ad domum mariti coeperint, vel jam ibi positae diversis nominibus, & ritu sacrificant.*

Bacchus sedens Cantharum Fauno porrigit, ut vinum ministret, nam & ipse Connubiis praeesse putabatur, ut ex Virgilio mox citato; Faunus vero vinum Baccho propinat ex situla, qua potissime Etrusci utebantur ad idem officium in sacrificiis in honorem Genii ordinatis, ut saepe observabimus.

Sub pedibus Dianae montium cultricis, Bacchi, & Fauni, qui colles amant, rudia saxa depicta sunt. Sub pedibus vero Telluris flores, & herbae, non sine subtili investigatione naturae.

In hac pictura Anachronismum taxabunt Critici, nam cum Juno nupsit Jovi, nondum Bacchus natus erat; quin Junonis jam conjugis invidiam propter Jovis amores in Semelem describit Ovid. Metam. III.

gravidamque dolet de semine magni
Esse Jovis Semelen.

Hac tamen licentia Pictores perpetuo usi sunt, cum non historiam, sed allegoriam exponerent, quemadmodum in hoc, & sequentibus vasis, in quibus Procerum Etruscorum Nuptiae sub magnifica Deorum larva repraesentantur. De hac Pictura multa praemisimus in differt. de Pict. Etrusc.

TAB. IV. V. ET VI.
JOVIS NUPTIAE.

ECce iterum sub novo adspectu Jovis Nuptiae, qui altius e terra sedens coronam Nuptialem a Genio delatam exspectat.

Juno adest columnae innixa, veluti symbolo firmitatis Nuptiarum, cum speculo, & flabello, quod ad Nuptialem adparatum pertinere, infra observabimus. Cingulum Nuptiale prope e clavo pendet.

Iterum Horae sacrificium procurant, quarum quae Tauri cornua inflectit, ne nudo capite rem divinam perficiat, a Genio advolante coronatur, qui sinistra manu coronam solutam, seu Diadema capiti Jovis conve-

conveniens cum florido arbuſculo adducit. Ramos felicis arboris in Nuptiis humi defigere ſolebant Etruſci Genio ſacros, quos ut coaleſcerent, ſummo ſtudio nutriebant. Idem factum fuiſſe in Natalibus, & cum Toga adoleſcentibus daretur, luculentiſſimis exemplis demonſtrabimus. Forte ramus iſte conſtat ex ſpina alba, quam Plinius vocat *Nuptiarum facibus auſpicatiſſimam*. Hinc Catullus de Nupt. Juliae, & Manlii.

Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate taedam.

Lineam claudit Lar vialis ipſa humeris ſuſpenſa ſarcinula conſpicuus, quem deſcripſimus peculiari praemiſſa diſſertatione. Siniſtra baculum in clavae ſpeciem confectum ſtringit inſigne officii ſui, quem Pictor incautus in formam tubae deformavit, ſublatoque pede, quaſi ad caeli faſtigium adſcendens coronam Nuptialem defert. Sponſos coronari, vulgata res eſt, quin & coronas a Diis accipere ſolere. Hom. Iliad. XXII. 470.

Κρήδεμνόν θ', ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσέη Ἀφροδίτη,
Ἤματι τῷ, ὅτε μιν κορυθαίολος ἠγάγεθ' Ἕκτωρ.

Coronam, quam & dedit aurea Venus
Die illo, quando ipſam criſtatus duxit Hector.

& Val. Flac. Argon. VIII. 235. de Medaea

Ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arſuras alia cum virgine gemmas.

& Claudian. de Nupt. Honor.

Tu feſtas, Hymenaee, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.

Superior haec linea, quam anſae vaſis interſecant, proſequetur in Tabula ſubſequente, & in primis occurret nobis Bacchus ſedens in ſcopulo hedera tenuiore coronatus, ramum vitis adtollens, de quo in Notis ad Tabulas ſuperiores.

Ei reſpondet e regione Baccha in ſaxo reſidens, thyrſum ſtringens vittatum, quae ſiniſtra lancem paratum oſtendit Lari domeſtico.

Inter Bacchum, & Baccham una ex Gratiis expreſſa eſt ſacrificantis habitu cum linteolo, de quo fuſius opportune agendum erit, quae coronam e floribus ſolutam ſubſtinet, quale officium eidem tribuit in Nuptiis Claudianus mox citatus. Geminas illius ſorores paulo infra obſervabimus.

Poſt

Poſt Baccham vitis altera cernitur intermedia inter ipſam, & Larem familiarem, qui baculo nodoſo innititur, quo fures e ſubdita ſibi domo privata poteſtate abigat, de quo in praefata Diſſertatione. Coronam lemniſcatam, & gemmis ornatam & ipſe adfert.

Subſequitur Dea cum ſpeculo ventilans mantile, quo in ſacrificando Etruſci utebantur. Unam puto e Deabus connubialibus.

Lineam inferiorem, quae continua eſt, ordiamur a praecedenti Tab.V. Unus e Bacchi choro cantharum attollens, & bifidam vitem, cujus myſteria in ſua ſede perſcrutabimur, ſe interſerit Deorum choro.

Quis *Fortunae Manentis* imaginem apud Etruſcos inveniri reputaſſet? Et quidem nacti ſumus, & frequentiſſime recurrentem obſervabimus. Cum enim initio hujus ſtudii ſaepiſſime mihi occurreret Dea ſcalam ſuſtinens, quin etiam & Genius illius cum pari ſymbolo Graecis, & Latinis antiquitatibus omnino ignoto, una mihi Fortuna occurrebat, cui conveniret juxta illud Horatii I. 34.

Praeſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Subſtulit tamen haeſitationem Aelianus de Var. Hiſt. II. 29. haec ſcribens: Πιττακὸς ἐν Μιτυλήνῃ κατασκεύασε τοῖς ἱεροῖς κλίμακα, εἰς οὐδεμίαν μὲν χρῆσιν ἐπιτήδειον, αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνάθημα εἶναι. αἰνιττόμενος τὴν ἐκ τῆς τύχης ἄνω, καὶ κάτω μετάπτωσιν. Τρόπον τινὰ τῶν μὲν εὐτυχούντων ἀνιόντων, κατιέντων δὲ τῶν δυστυχούντων. *Pittacus apud Mytilenem ſcalam in Templis extruxit ad uſum quidem nullum idoneam, tantum, ut Donarii loco eſſet, latenter Fortunae viciſſitudinem, ut neſcio quo pacto felices adſcenderent, infelices autem deſcenderent.* Numen vero Fortunae magnum erat in Nuptiis ſemper periculoſis, ita ut novae nuptae ex veteri inſtituto coronam Nuptialem illi dedicare deberent, quod bis nuptis vetitum erat. Servius. Aeneid. IV. 19.

Genius volucer florem heliotropii Fortunae defert ſymbolum ſequaciſſimi amoris, & Fortunam ſedentem, atque conſtantem lemiſcato ſerto coronat.

Similem coronam, ſuſtollit Dea altera ſedens, quae converſa in Genium lancem pomis onuſtum illi oſtendit.

Genius iſte aliger ſertum alterum ex ſacris verbenis compactum oſtentat,

ftentat, fedet vero in lectulo fibi facro, quem *genialem* appellabant, de quo infra, ubi de nuptiali adparatu agendum erit, verba faciemus.

Secunda ex Gratiis agmen claudit cum floreo ferto, five bullis gemmatis ad fponfam ornandam dextera vero fublevat inftrumentum quoddam, puto calamiftrum ad crines fcite contorquendos, & ipfa pedem attollit veluti ad Junonem ornandam accedens; Gratiis etenim id officii tribuebatur.

Hinc digrediamur ad poftremam lineam Tab. VI. partem fuperioris. Juvenis nudus fedens cum Lauri ramufculo ad luftralis aquae confperfionem, fortaffe eft Deus ille Limentinus, aut alter ex ejus claffe, quem refert D. Auguft. de Civ. Dei. Nos communiore vocabulo unum ex domefticis Laribus appellabimus, cui limen domus facrum erat, quod mulier, in primo ingreffu, ne pedibus violaret, fublata transferri folebat. Catull. in Epital.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes
Rafilemque fubi forem.

Et Plautus:

Senfim fuperattolle limen pedes nova nupta.

Lancem fubftinet dextera, cui infixus eft ramufculus ex rore marino domeftico frutice domefticis Laribus facro. Horat. III. 23.

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique Myrto.

Alibi faepe bini ex hifce furculis placentae infixi funt; puto, ubi negotium eft cum Lare, & Larunda.

Dea altera illi occurrit cum virginali fafcia Junoni detracta, fibique refignata: Velo fuperhumerali ornata eft, & acerram attollit, five arculam duobus ramufculis infignitam ad expiationes, & luftrationes peragendas.

Recurrit fedens Deus alter cum rami lauro, & corona lemnifcata, Deus aliquis ex domefticis, quorum nomina recenfet loco citato D. Auguft., fed nullis fymbolis diftinguendus. Ultima procedit tertia ex Gratiis floream deferens aliam coronam.

Paries floribus, vittis, & uvae racemis totus renidet, folum floribus vernat; nec mare ab hoc connubio fua retrahit officia, interpofito Limbo, in quo pifces varii generis natant. TAB.

TAB. VII.

HERCULIS, ET HEBES NUPTIAE.

FAbulam hanc, ſive allegoriam Herculis ob praeclare geſta in caelum recepti, aeternaque juventute donati, quam ex Vaſe Muſei Academiae noſtrae Bononienſis producimus, luculentiſſime explicabit Pictura alterius Vaſis Muſei Caeſarei, quae, quia ad aliam Claſſem ab hac diverſam pertinet, propriae ſedi reſervata eſt.

Regali ſolio inſidet Jupiter coronatus cum ſceptro aquiligero, quale ornamentum una cum Sella eburnea Etruſcorum inventum fuit propriis Regibus adtributum, a Romanis inde uſurpatum, ut late oſtendit lib. II. cap. 2. de Etrur. Reg. Cl. Dempſterus.

Jovi a tergo adſtat Juno haſtam puram ſtringens, quae advenientem Herculem, cui hactenus fuerat adverſa, blande exſcipit Mart. IX. 29

Jam tibi Juno favet, jam te tua diligit Hebe.

In conſpectu Jovis, & Junonis Sacrificium Nuptiale paratum eſt. Stat Tripus Aarae impoſitus, & Bos coronatus manu Victoriae cadit. Ipſa enim in antiquis monumentis libentiſſime ſubit officium Sacrificulae, haud obſcura ratione, hoſtiam illam immolari ob res bene geſtas auſpicio Victoriae. Hic vero tamquam Herculeae virtutis teſtis locupletiſſima in partem triumphi accedit, & officium Sacerdotis ſibi adſumit.

Haeret lateri Jovis Hebe alata, ut pariter in Vaſe Caeſareo. Dea haec Etruſcis familiariſſima fuit, nam eadem habebatur, ac Dea Juventa, ſive Juventutis, nam Scriptores promiſcue tria haec nomina uſurparunt. Ovid. Pont. I. 10. 11.

Nectar, & Ambroſiam, latices, epulaſque Deorum
Det mihi formoſa gnava Juventa manu.

Quinimmo cum de traditione virilis Togae argumentum tractabimus, quae caeremonia Etruſcis ſimul, atque Romanis ſolemniſſima fuit, Deam hanc volucrem pompae adcedentem cum Cithara obſervabimus, nam ejus numini, ac patrocinio commendabantur adoleſcentes.

Caput hujus Deae Corona Nuptiali prominentibus baccis ornatum eſt, & manu altera lancem ſubſtinet cum pomis, fortaſſe ovis ad luſtrationem, de quibus alibi. Manu altera coronam lemniſcatam adtollit eam Herculi offerens, qui prae ſtupore manum elevat, Coronari enim ſpon-

ſos, notiſſima res eſt, praeſertim vero novas nuptas, ut praemiſimus in notis ad Tabulam ſuperiorem, quibus addo Catull. 61.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis Amaraci.

& Lucan. II. 358.

Turritaque premens frontem Matrona corona,

& Cic. de Orat.

Sed mihi cum retulit coronam ob collocandas Nuptias tibi ferebat.

Poſticam Pictiuram occupat Muſica Nuptialis ſublimi quodam ſtylo expreſſa. Stat in ſuggeſtu Apollo coronatus, qui Tibias, inventum olim ſuum, inflat. Longa induitur palla more muſicorum. Virg. Aen. VI. 645.

Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum,

de quo videnda, quae diximus ad Tabulam XIX. Tom. III. Domeſtic. Lucernarum.

Reliquam partem fabulae hic expreſſae, quam alibi vel pictam, vel ſculptam vix invenies, ex altioribus penetralibus repetemus. Commenti ſunt veteres, Parcas in Nuptiis interveniſſe ad Carmen Nuptiale concinendum, quo fata conjugum, & natorum continerentur, quod erat *Fata praecinere*. Unum in hac re prae omnibus Catulli teſtimonium, proferam in Nuptiis Pelei, & Thetidos.

Veridicos Parcae coeperunt edere cantus,

quod cum facerent, vitae ſtamen ducebant, interpoſito ſenſim ſolemni intercalari, quod ad formulam pertinebat:

Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

& Tibul. I. 8. 1.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli diſſolvenda Deo.

Catullum imitatus Sidonius in Epithalamio Polemii Parcas introducit ad fata canenda, ſeu Fatorum carmen, ut ait Propertius IV. 7. 51.

Juro ego Fatorum nulli revocabile carmen,

& Ovid. Triſt. V. 3.

An Dominae fati quidquid cecinere ſorores.

Harum vice Claudianus in Nuptiis Honorii, & Mariae Apollinem intromittit ad fata praecinenda, nam Apollo, qui in hac Pictura

Parcis conjungitur, illarum dux esse ferebatur, illum *Moeragetem* appellantes, ut in Phocicis recitat Pausanias. Horatius vero lib. I. 15. in Nuptiis Paridis, & Helenae Nereo id officium adtribuit, quia res in Pelago agebatur:

ut caneret fera
Nereus Fata.

Tres igitur Parcae in hac nostra Pictura cum Apolline officium praestant; una ex his coronata brachiis intra stolam inclusis ad exscessum mentis exprimendum vaticinium canit veluti *futura*, & incognita praedicens.

Altera liberiore gestu manifesta concelebrat, nempe Majorum gloriosa gesta, quae ad *elapsum* tempus pertinent.

Ultima demum, quae tempus *praesens* exprimit, longum stamen in altum suspendit, fuso in extremitate conspicuo. Haec tria officia, quae trinum tempus respiciunt, exactissime explicat Plato Dialog. X. de Republica, ubi fusum hunc cum suo verticulo mithologice, & diligentissime explicat, *fusum necessitatis* appellans. Hac allegoria usus est etiam Virgilius Ecl. IV. in fine ad formulam praecitatam alludens:

Talia saecla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum Numine Parcae.

Has vestibus albis, & capite coronato describit idem Plato loco citato, quem sequitur ibidem Catullus:

undique vestis
Candida, purpurea tyrios intexerat ora,
Ambrosio nivaee residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.

Duo ex his, quae in latus delineatae sunt, alatae conspiciuntur. Altera vero, quae in faciem, alas occultat. Id illis decus adtribuit Orphei hymnus:

αἵτ' ἐπὶ λίμνης
Οὐρανίας
Ναίουσαι ; πεπότησθε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γᾶιαν.

quaeque circa paludem
Caelestem
Habitantes volatis hominum in immensam terram.

Tab. VIII. IX. et X.

HERCULIS, ET DEJANIRAE NUPTIAE.

Sedet ſub Palma Tab. IX. Dea Pudicitia velo ſibi caput obnubens, ut frequenter in Picturis ſubſequentibus, quae Numine ſuo praeſenti Nuptias haſce facit auguſtiores. Arbor vel palmam, vel oleam repraeſentat; utraque enim interveniebat in Nuptiis ad ſerta, & coronas parandas. Sidon. carm. 14.

Proſper Connubio dies coruſcat,
Quem Pacis ſimul arbor, & Juventae,
Aeternumque virens oliva ſignet.

Dum interim Dea indicio paterae Sacrificium Nuptiale parat, ſive Genius, ſive Hymenaeus illi adhaerens manu converſus in ſponſos manifeſte jubet, ut adcedant.

Hercules interim Dejaniram Oenei, & Altaeae Calydonis Regum filiam rapere ſimulat more Heroum, qui non aliter, quam vi raptam uxorem ducebant. Hujus rapinae ſimulacrum veluti auſpicatiſſimum abiit in morem, quod Romulo hujuſmodi raptus *ſummi boni cauſſa fuerat*, ut refert Plutarc. Quaeſt. Rom. 29. Et Feſtus: *Rapi ſimulatur virgo e ſinu matris, aut ſi ea non eſt, proxima neceſſitudine, cum ad virum trahitur*. Hinc Catull. 61.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Et Virgil. Aeneid. X. 79.

Quid ſoceros legere, & gremiis abducere pactas.

Hunc tamen morem, quem Romani ex Romuli exemplo conſecrarunt, longe antiquiorem fuiſſe intelligimus ex tota hiſtoria temporum heroicorum, in qua fere nemo uxorem, niſi raptam ducere ſolebat. Teſtem induco Pateram Etruſcam, in qua Peleus Tethidem rapit; unde colligimus, Etruſcos a Graecis, non vero a Romulo morem hunc traduxiſſe ſimulandae Violentiae, ut virginibus decus adcreſceret tenacioris pudicitiae per vim expugnandae.

Fabulam exponit Hyginus cap. 33., ubi tamen Dexameni filiam fuiſſe ſcribit, ſed mendoſe, ut ſaepiſſime, nam Ovid. Metam. IX., & Apollodor. Bibl. lib. II. cap. 7. Hygino contradicunt. En verba Apollodori:

Ἡρα-

Ἡρακλῆς δὲ παραγενόμενος εἰς Καλυδῶνα τὴν Οἰνέως θυγατέρα Δηϊάνειραν ἐμνηστεύσατο. *Hercules Calydonem profectus Dejaniram Oenei filiam uxorem depoposcit.*

E regione Eurytion Centaurus Dejanirae Procus arboris Trunco armatus more Centaureo Nuptiis insidiatur.

Oeneus nudus illum repellit; & dum oblato vini cratere illum demulcet, conversus in Herculem impedit, quominus irascens in Centaurum illius caede laetitiam funestet. Incassum tamen, nam illum interemit. Hygin. loc. cit.: *Eurytion Ixionis, & Nubis filius Centaurus petiit Dejaniram uxorem, cujus pater vim timens pollicitus est, se daturum. Die constituto venit cum fratribus ad Nuptias. Hercules intervenit, & Centaurum interfecit, & suam speratam abduxit.*

Althaea ad dignitatem, & integritatem fabulae intervenit cum ancilla, sed perterrita ab occursu Centauri fugam arriperet, ni ab ancilla confirmaretur, mirabili tot variarum passionum expressione cum dignitate.

Reliquum hujus lineae videas in Tab. sequente, loco superiore, ubi Etrusca additamenta Graecam fabulam nobilitant. Medius sedet Bacchus cum consueta, praesertim in Nuptiis, Vite bifida, qua fertilitatem utrique sexui praenunciat. Uvae racemus e tolo pendet.

Virginensis Dea, sive ipsa Pudicitia velum sibi ex humero adtollens Vannum in Nuptiis solemnem faciei anteponit, hic oscitanter in modum circuli expressum, in quo, veluti symbolo adfluentiae divitiarum, infantes nati collocabantur.

Dea Libera cum thyrso accurrit solemnitati, & virginalem zonam ostentat exprimens alteram partem historiae. Jacet ad ejus pedes Placenta mellita in Nuptiis usitata, dulcis vitae omen.

Dea stans a tergo Bacchi aliquid imponit in Patera alterius Dei sedentis in molli sede, quem ego aut Genium lectuli conjugalis custodem puto, seu potius Larem, cui nova nupta more Etrusco nummum resignabat, ut infra exponemus. Superne pendet ex duobus clavis Jugum maritale, de quo pariter agendum erit.

Lineam inferiorem repetamus a Tab. IX., in qua Sacra Nuptialia more Etrusco peraguntur. Surgit Focus marmoreus, cui superpositus est Crater, aut Sartago ad prunas continendas juxta ritum domesticum, in quo Tripodes humiliores adhibebantur, de quibus aliqua praemisi-

misimus in Dissertat. de Monumentis Cortonae effossis inter Columbarias, & in alia de Laribus Etruscorum. Dii plures Aram circumstant, Lares, Genii, Penates, utriusque sexus sedentes, vel adcurrentes cum Acerris, Scriniolis, Pateris, floribus, vittis, coronis, & universo adparatu ad Sacrificia, & Expiationes, & Lustrationes perficiendas.

Notandum censui in hac Tabula, quod, ubi Sacrificula inclinata ad Aram adcedit coronam offerens, Deus, & Dea, qui Aram circumstant, terga tantum conspicienda praebeant sacrificanti. Id ego Pictoris arbitrio tribuissem, ni saepe in his Tabulis observassem eamdem formam repetitam. Rem altius meditanti occurrit forte locus Heliodori Aethiopicorum lib. III. cap. 7., ubi Deorum adparitiones examinans ait, illos vix coram cognosci posse, cum praesertim plerumque hominis alicujus figuram arripiant, ut apud Homerum Iliad. XIII. vers. 71. Neptunus Calchantis formam accepit, cum utrumque Ajacem ad pugnam concitavit, nunquam cognitus nisi cum terga vertisset:

Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος.

Vestigia enim retro pedum, & tibiarum
Facile agnovi abeuntis.

Sic Venus sub humana specie Aeneam adloquitur apud Virg. in I. penitus ignota, nisi cum ab illo recederet:

Dixit; & avertens rosea cervice refulsit,
Et vera incessu patuit Dea.

Hisce symbolis & Poetae, & Pictores nostri divinam dignitatem quodammodo exprimere voluerunt, cujus adspectum homines minime ferre possent, nec quidquam, nisi posteriora, hoc est effectus valerent considerare.

Dearum postrema Sertum floreum trahit, & altera manu Arculam adtollit, a qua pendet Globus vinculo decussato adligatus, qui saepissime recurrit in sequentibus Tabulis vel pendens a Dearum manibus, vel parieti suspensus, ut jam non dubitemus, quin inter Donaria sit adcensendus. Post longum examen probabilior mihi conjectura arrisit, esse unam ex illis Marinis Pilis, quas Etrusci Laribus appendebant; Itaque Nonius cap. XIV. 32. inter Anathemata connumerat: *Suspendit Laribus Marinas molles Pilas, reticulas, & strophia*: Marinas istas productiones nemo vel leviter versatus in naturali Historia hac aetate ignorat.

Globu-

Globuli ſunt diverſae molis veluti ex lana compacti coloris in croceum declinantis, ignotae adhuc originis, utique marinae, qui in littore Maris Adriatici aliquando colliguntur, frequentiſſimi vero occurrunt in littore Etruſco. Propter ſimilitudinem cum lana ſubſtituti fuere globulis illis laneis, quos Etruſci in Compitalibus offerre ſolebant Laribus, ut conſtat ex Feſto: *Pilae, & effigies viriles in compitis ſuſpendebantur Compitalibus ex lana, quod eſſe Deorum inferorum hunc diem feſtum, quos vocant Lares, putarent, ut vivis parcerent, & eſſent his Pilis contenti.* An interim ex hujuſmodi ſimilitudine Pilae Marinae Laneis ſucceſſerint, ſive ex alia quacumque ratione, certum eſt auctoritate Nonii mox adducta, Pilas Marinas Laribus fuiſſe dedicatas, atque ad illas referendas cenſeo, quas in hac imagine, & in ſequentibus teniola ſuſpenſas obſervamus, niſi melior conjectura nobis occurrat.

Multiplices illae ampliores faſciae unico tantum ligamine ex uno capite munitae, quarum uſus ad Rem veſtiariam pertinere non potuit, nihil aliud eſſe reor, quam vittas illas laneas, quas novae Nuptae in ingreſſu aedium maritalium foribus ſuſpendebant, ut tradit Plutarchus mox adducendus in notis ad Tab. XVII., niſi ſuſpicari velimus, faſcias eſſe pueriles in adparatu Nuptiali fauſti ominis cauſſa praemiſſas, & cum pompa ſolitas circumferri.

TAB. XI. ET XII.

PIRITHOI, ET HIPPODAMIAE NUPTIAE.

IN pulcherrimo hoc Vaſe ejuſdem Muſei Caeſarei alia Nuptialis fabula exprimitur, Pirithoi nempe, & Hippodamiae conjugium foedatum caede Centaurorum. Multae hujus nominis feminae recenſentur in fabulis, omnes funeſtiſſimis connubiis famoſae, inter quas haec noſtra, quae Pirithoo conceſſa turbam Centaurorum ad ejus Nuptias funeſtandas concitavit. Hos inter Eurytus, qui cum ſociis vini furore concitatis Lapytharum uxores convivas rapere tentarunt. Eurytus Hippodamiam invaſit; aſt, everſo convivio, in apertum bellum univerſi prorupere, de quo Horat. Carm. lib. I. 18.

At ne quis modici proſiliat munera Liberi,
Centaurea monet fera cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata.

Convi-

Convivium more Regionis in Antro celebrabatur ad multitudinem exſcipiendam, quemadmodum de Nuptiis Pelei, & Thetidos fabulatur Claudian. in Nupt. Honor., & Mariae:

Terpſicore facilem laſcivo pollice movit
Barbiton, & molles duxit in Antra choros.

Hinc Pictor ſcitiſſimus regiam Domum ſejunxit a loco convivii, nam Hippodamiam fugientem ad oſtium regalis Palatii figuravit, ubi mater adcurrens filiam introducit, & poſtem ad ſe trahit. Ovid. Metam. XII. 212. convivii locum ita deſcribit:

poſitis in ordine menſis,
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro.

Eurytus virginem inſequitur. Ovid. loc. cit.:

Raptaturque comis per vim nova nupta praehenſis,
Eurytus Hippodamen, alii, quam quiſque probarat,
Aut poterat, rapiunt.

Theſeus Pirithoi fidiſſimus comes, Clava Centaurum percutit, haec enim armatura illi ſteterat, ex quo Periphetem occidit juxta Apollodor. lib. III. in fin., quam ille audacter vibrat, & Centaurum

ſternit
raptamque furentibus aufert.

Unus e Lapithis bipennem ſacrificio paratam rapit, irruens in Centauros. Ad illius pedes praegrandis hydria confracta cernitur. Ovid. loc. cit.:

Forte fuit juxta ſignis exſtantibus aſper
Antiquus crater, quem vaſtum vaſtior ipſe
Suſtulit Aegides, adverſaque miſit in ora.

In parte adverſa Tab. IX. Pirithous Tridente armatus alterum ex Centauris interficit. Jacet humi ingens ſaxum teli loco in hoſtem miſſum:

inque humeros limen tellure revulſum
Tollit, onus plauſtri, quod ne permittat in hoſtem,
Ipſa facit gravitas; ſocium quoque ſaxea moles
Oppreſſit ſpatio ſtantem propiore Cometen.

Interim uterque populus varia ſorte pugnat, nam, ut ait Hyginus Fab. 33.: *Centauri Lapithas multos interfecerunt..... ab ipſis interierunt.*

A Theſſalia in Etruriam revertamur, nam in linea inferiore exprimitur Sacrum Connubiale Baccho dedicatum, cui, ut praemiſimus, libari

bari in hiſce pompis debebatur. Praeit Genius alatus, qui chorum ducit. Sequitur Baccha, & Ebon, ſeu Bacchus ſenex, qualem Etruſci, & praecipue Campani colebant, quamquam pro rituum, & ſignificationum diverſitate juvenem non excluderent. Fuſcina illi adtribuitur, nam inter Deos fulguratores cenſebatur, ut oſtendit Maximus Bonarotus, & fulgur trifidum illi in Patera Etruſca adtributum eſt.

Subſequntur Bacchae cum ferulis, thyrſo, & vaſe vinario. Haec pompa Bacchica nil commune habet cum fabula, ſed computanda eſt inter parerga Nuptiarum, quemadmodum in ſequente Pictura, cujus expoſitionem adgredimur.

TAB. XIII.

IPHIGENIAE NUPTIAE SIMULATAE.

FAbulam totam ex Euripidis Tragoedia recenſet Hyginus cap. 98., cujus narratione collata cum praeſenti Pictura, ingenium, & ſcientiam Pictoris admirari non ceſſabimus. Haec Hyginus: *Agamemnon cum Menelao Fratre, aliis delectis ducibus, Helenam uxorem Menelai, quam Alexander Paris advexerat, repetitum ad Trojam cum irent, in Aulide tempeſtas eos ira Dianae retinebat ...... Hic cum Haruſpices convocaſſet, & Calchas reſpondiſſet, aliter expiari non poſſe, niſi Iphigeniam filiam Agamemnonis immolaſſet, re audita, Agamemnon recuſare coepit. Tunc Ulyſſes cum conſiliis ad rem pulchram tranſtulit. Idem Ulyſſes cum Diomede ad Iphigeniam miſſus eſt adducendam.*

Duplex factum unico adſpectu Pictor complexus eſt, conſilium in Aulide initum, & legationem ad Clytaemneſtram Mycenis abſolutam. Hanc Antitopejam, ut vocant, ſeu tranſpoſitionem perſonarum de loco ad locum Pictores ſaepe uſurparunt, ad integritatem fabulae exponendam aliquid ex ingenio interponendo, quod fabulae unitatem divideret. Seorſim igitur colloquuntur Ulyſſes, & Agamemnon, hic armatus, ille palliatus, qui de Iphigenia abducenda ſermonem habent. Si Dycti Cretenſi fidem adhibemus, Agamemnon conſilium ignoravit: *Ulyſſes profectus Mycoenas, nullo conſilii participe, falſas litteras, tamquam ab Agamemnone miſſas ad Clytaemneſtram defert.* Aſt Euripides mandatum ipſi

Agamemnoni adtribuit, quem ſic loquentem inducit Iphig. in Aul. v. 29.

Γεάψας ἔπεμψα πρὸς δάμαρτα τὴν ἐμὴν
Πέμπειν Ἀχιλλεῖ θυγατέρ᾽ ὡς γαμουμένην.
Scribens miſi ad meam uxorem,
Ut mittat filiam tamquam nupturam Achilli.

Acceſſum Ulyſſis ad Clytaemneſtram ita proſequitur Hyginus: *Qui cum ad Clytaemneſtram ejus matrem veniſſent, ementitur Ulyſſes eam Achilli in conjugem dari. Quam cum in Aulidem adduxiſſet, & Parens eam immolare vellet, Diana virginem miſerata caliginem objecit, Cervamque pro ea ſuppoſuit.*

Sedet itaque Regina ſpecioſa veſte induta, quae leniter converſa Ulyſſem auſcultat. Ut multa tempora ſimul uniret Pictor, eam ſacrificiali habitu velatam, & Altari innixam expreſſit, tamquam jam paratam. Ubi enim in Aulide virum convenit, primum de ſacro faciundo ſermonem inſtituit:

Κλυ. Προτέλεια δ᾽ ἤδη παιδὸς ἔσφαξας θεᾷ;
Αγ. Μέλλω γ᾽. ἐπὶ ταύτῃ καὶ καθέσταμεν τύχῃ.
Κλυ. Κᾆπειτα δαίσεις τοὺς γάμους ἐσύστερον;
Αγ. Θύσας γε θύμαθ᾽, ἅπερ μ᾽ ἐχρῆν θεῖσαι Θεοῖς.
Cly. *Jam ne mandaſti Deae initiales victimas Nuptiarum filiae?*
Ag. *Mactabo, nam in hoc negocio ſumus occupati.*
Cly. *An vero deinde celebrabis Convivium Nuptiale?*
Ag. *Cum mactavero victimas, quas me Diis immolare oportet.*

Media inter Matrem, & Natam conſpicitur ancilla ad dignitatem hiſtoriae adaugendam. Sedet Iphigenia virginali habitu in conſpectu Matris ſub umbella, veluti delicatula, qualem deſcribit Tragicus, Matrem inducens ſic loquentem:

Σὺ δ᾽, ὦ τέκνον, μοὶ λεῖπε πωλικοὺς ὄχους,
Ἀβρὸν τιθεῖσα κῶλον, ἀσθενὲς θ᾽ ἅμα.
Ὑμεῖς δὲ νεανίδαισιν ἀγκάλαις ἔπι
Δέξασθε, καὶ πορεύσατ᾽ ἐξ ὀχημάτων.
Καὶ μοὶ χειρὸς τὶς ἐνδότω στηρίγματα,
Θάκους ἀπήνης ὡς ἂν ἐκλίπω καλῶς.
Tu vero, o filia mea, relinque mihi equeſtres currus,
Ponens pedem tenerum, & ſimul infirmum.

Vos

Vos vero juvenilibus in ulnis
Exſcipite eam, & deducite de curru;
Et mihi det aliquis fulcrum manus,
Sedes currus ut relinquam commode.

Haec fabula Thuſcis noſtris minime fuit peregrina; nam Iphigenia in Tauricam tranſvecta, inde cum fratre Oreſte ſimulacrum Dianae Tauricae ſubreptum in nemore Aricino prope Tuſculum collocavit; de quo argumento latius egimus in Diſſertatione de Rege Nemorenſi, adeoque animos Etruſcorum occupavit haec fabula, ut in Urnis Etruſcis illam ſaepiſſime repetitam, & marmori inſculptam videamus.

Procerior Columna, quae dividit utramque partem fabulae, ſimulacro ſuper impoſito, Dianae, ut puto, nobilitatur, ipſa enim in hac fabula partem primam geſſit.

Pars obverſa pompam Bacchicam, ut in Vaſe ſuperius expoſito, manifeſtiſſime exprimit, quia fortaſſe Etruſci ad Matrimonia contrahenda dies illos praeferrent, in quibus Bacchi myſteria celebrabantur licentiae plena. Refert enim Livius lib. 39. haec myſteria triduo tantum in ſingulos annos abſoluta, inde amplificata ad quinos dies ſingulis quibuſque menſibus.

Notandum hic occurrit, Bacchanalia fere omnia Etruſcorum feminas viris admixtas repraeſentare, cum ceteroquin antiquiora viros excluderent. Originem corruptelae imputat Liv. loco citato Matronae Campanae per haec verba: *Pacullam Miniam Campanam omnia tamquam Deûm monitu immutaſſe, nam & viros eam primam ſuos filios initiaſſe Minium, & Herenium Cerrinios:* Cum vero haec Bacchanalia anno Urbis DLXIV. fuerint eliminata, & penitus abrogata, hinc ſuſpicari poteſt, vaſa haec ea aetate formata fuiſſe, quae interfuit inter Miniam Campanam, & annum abolitionis.

In hac Bacchica pompa praeit vir cum ferula, ſacroque linteolo, ſuccedit juvenis cum thyrſo, eodemque linteolo expanſo, poſtremus ſequitur Faunus crure tantum dextero praecincto Vannum faciei opponens, ne libero oculo Deum intueatur. Hic ordo diligenter notandus eſt, confert enim quammaxime ad dignoſcendos illos initiorum gradus, de quibus ſuo loco agendum erit.

Tab. XIV.

VENUS CUPIDINEM DEOSCULANS.

HAnc Picturam, ſed diverſo conſilio deſcribit Nonnus Dionys. lib. XXXIII. verſ. 143. acceſſum referens Amoris ad domum Veneris:

Καὶ μέσον ἀγκὰς ἑλοῦσα γαλήνισωντι προσώπῳ,
Πεπταμένῳ πήχυνε γεγηθότι κοῦρον ἀγοστῷ,
Γουνάσι κουφίζουσα φίλον βάρος ἑζομένου δὲ
Καὶ στόμα παιδὸς ἔκυσε, καὶ ὄμματα.....

Et medium in ulnas trahens ſerena fronte
Volanti amplexa fuit gaudenti puerum manu,
Genibus elevans ſuave onus, ſedenti vero
Et os pueri oſculata eſt, & oculos .....

Sed hanc Picturam penitus allegoricam puto, veluti imaginem conjugalis amoris, ita tamen, ut Venus matronali habitu ornata conſpiceretur ad dignitatem conſervandam.

Cupido ingenti linea margaritarum ex humero ſiniſtro in latus dexterum profluente ornatus eſt. Hoc cultu Etruſci Deos omnes adoleſcentes decorarunt, ut exemplis frequentiſſimis palam fiet. Ceterum ara domeſtica in conſpectu Larium familiarium erecta, quorum Sacrarium ad inſtar feneſtellae in ſummo pariete expreſſum eſt, clare oſtendit, alluſionem hanc ad Etruſcam Matronam eſſe referendam.

Picturae, quae collum vaſis exornant, fabulam alteram Nuptialem oculis obiiciunt. Inter Veneris Cycnos Cupido ſollicitus ovum ab illis genitum colligit, ut ex eo aliquis Caſtor, ſeu Pollux erumpat, nobili Nuptiarum auſpicio.

Tab. XV. et XVI.

DII NUPTIALES.

CHorus Deorum domeſticam pompam, atque, ut puto, Nuptialem praeſens condecorat. Sedet Lar familiaris baculum ſuſtollens inſigne domeſticae poteſtatis, coopertus galero ex canina pelle compoſito, quemadmodum ſaepiſſime occurrit in Etruſcorum Cine-

Cinerariis. Plutarch. Quaeſt. Rom. 50.: Τῶν Λαρητῶν οὓς ἰδίως πραιςίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέςηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται. Πραιςῖται μὲν οἱ προεςῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεςῶτας, οἴκου φιλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν ἀλλοτρίοις, ὥσπερ ὁ κύων ἐςὶν, ἠπίους δ᾽ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν. *Laribus, quos Praeſtites proprie vocant, canis praeficitur, & ipſi canum pellibus amiciuntur, quoniam Praeſtites ſunt, qui praeſunt, ideoque cuſtodiam domus eis curae, alieniſque eos terrori eſſe oportet, qualis eſt canum natura, domeſticis vero mites, & manſuetos.* De his plura notavimus in Paralipomenis ad Tabulas Dempſterianas.

Quae proxime foco domeſtico innixa Larem mulcet, Lara eſt, ſeu Laris uxor, nam Etruſci Diis omnibus feminam junxere ejuſdem poteſtatis, ne in coelibatu taedio ſolitudinis maciarentur. Aliquid praeterea in hoc inſtituto datum eſt ambitioni feminarum, ut ſexus uterque totidem haberet Deos. Hinc Arnob. lib. IV.: *Uxores Dii habent, atque in conjugalia foedera conditionibus veniunt antea quaeſitis.* Genius alatus utrique imminet, & coronam lemniſcis inſignitam adtollit.

Sedet cum flabello Dea in altum ſuſpenſa, quae Genium alloquitur, veluti conſilium iniens de negocio, cujus cauſſa Dii convenerunt. Reticulo caput obnubit, & monili pulcherrimo, & peplo marginibus exculto ornata eſt. Siniſtra manu velamen e pectore diſſolvit, Dea utique conjugalis, ſeu Juno, ſeu Pudicitia, aut Dea Juventutis. Sit interim Praema, aut Manturna, aut alia ex iis, quas Divus Auguſtinus exſibilat, nomine tantum notas, quarum ſymbola ignoramus.

Bacchus Corniger perpetuus Nuptiarum comes ferula inſtructus hinnulo blanditur; quod animal ei cariſſimum fuit, ut non aliunde nebridem ſibi, & affeclis uſurpaverit; Corona myrtea redimitus eſt, imminente ſupra ejus caput vite bifida, cujus ſymboli rationem ſupra attigimus.

Bacchi Miniſter cum thyrſo, & lance cum ovis luſtralibus ſeriem claudit. Fortaſſe ſub hoc adſpectu ſponſus latet, cui Genius coronam offert, & ſub Deae ſedentis in ejus conſpectu nova nupta. Revera in veteri Pictura Romae in Hortis Aldobrandiniis ſponſus nudus ſub imagine Bacchi ſponſam in thalamo praeſtolatur.

TAB.

Tab. XVII.

VENUS CUM CYCNO.

VEnerem pronubam ſub hoc typo mihi videor recognoſcere, quae Cycnum ſui inſigne manibus praemittit. Guttum adtollit, quo balſama ſervabantur ſumptuoſa ad cultum capitis abſolvendum. Oleum etiam intererat in caeremonia Nuptiali. Serv. Aeneid. IV.: *Moris fuit, ut nubentes puellae ſimulac veniſſent ad limen Mariti, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent.* Plinius vero lib. XXVIII. 9. lupinum adipem adhibitum fuiſſe refert, & Arnob. lib. III.: *O egregia Numinum, & ſingularis interpretatio poteſtatum, niſi poſtes virorum adipali unguine oblinerentur a ſponſis.* Noctua pone inſidens nocturni temporis, quo Nuptiae celebrabantur, indicium eſt. Catull. in Epithal. Jul.:

abiit dies,
Prodeas, nova nupta.

& in Carm. Nuptial.:

Veſper adeſt, juvenes, conſurgite, veſper olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

& paucis interjectis:

Heſpere. qui caelo fertur crudelior ignis,
Qui natam poſſis complexu evellere matris.

Eſt praeterea Noctua ſymbolum Minervae, ac propterea ſapientiae maxime exoptatae inter ſponſarum dotes. Hinc Sidonius in Epithalamio Polemii inter Deas connubiales Palladem introduxit, quemadmodum in alio Epithalamio Dicti, & Hiberiae:

Hic Pallas madidis venit inter praela Trapetis.

& Claudianus in Nuptiis Honorii cum Maria, & in Paneg. Serenae Reginae nil prius doctrina regiarum harumce puellarum collaudat, ut minime jam miremur, Venerem pronubam praemittere quidem in hac Pictura Cycnum ſuum, ſed non reſpuere Palladis alumnam, & ſociam ad connubium nobilitandum.

CLASSIS

CLASSIS II.

ADPARATUS NUPTIALIS.

Tab. XVIII.

INter Adparatus Nuptiales non ultimam partem obtinet cultus capitis, quo ſponſae Etruſcae ornari ſolebant, qui quia plerumque obſcure, & aliquando mendoſe a Pictoribus expreſſus eſt, diligentius examinari debet ad integros nationis mores inveſtigandos. Frequentiſſimum capitis tegumentum feminarum fuit Reticulum, quod capillitium fere totum includebat. Juvenal Satyr. II.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

In vertice apertus erat, ex quo capillorum aliqua pars decentiſſime fluitabat, quapropter Claudianus in Nupt. Honor., & Mar. ſtudium Veneris ſe ſe ad pompam componentis deſcribens ait, tertiam e Nynphis cirros hoſce circa verticem liberos reliquiſſe:

Sed tertia retro
Dat varios nexus, & juſto dividit orbes
Ordine, neglectam partem ſtudioſa relinquens.

Hic cultus capitis tranſiit ad feminas Romanas, ut ex Marmoribus, & Nummis apparet, & praeſertim ex capite marmoreo Fauſtinae minoris elegantiſſimo in meo Muſeo; quod in cauſſa fuit, ut Latinorum Scriptorum auctoritate in hiſce rebus Etruſcis explicandis uſum ſim.

Inventum proceſſit a Lydiis, unde & Trojani veluti hereditarium ab ipſa origine retinuerunt. Hinc mitra frequentiſſime *Lydia* appellatur. Propert. III. 5.

Cingat Baſſaridas Lydia mitra comas,

& IV. 7.

Mitratiſque ſonant Lydia plectra choris.

Hinc Phryges apud Virg. Aeneid. IX. 616. veluti delicatiores notantur, quod mitra uterentur:

Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.

Unica intercedebat differentia inter virilem, & muliebrem, quod illa ſolidior erat, & clauſa, ut ex capite marmoreo Atydos pulcherrimo in meo Muſeo, haec vero delicatior, & in varios ſinus conſtricta floribus, & gemmis ornabatur.

Apud

Apud Etruſcas duplex fuit, ut colligitur ex Picturis. Alia enim conſtabat ex longa, & ampliore faſcia, quae capiti multipliciter circumvolvebatur, & teniolis in utraque extremitate appoſitis colligabatur, quae ligamenta *phylla* dicebantur, eo quod ad inſtar florum penderent, aut floſculos aureos appenſos haberent, ut manifeſte obſervatur in plurimis Picturis, quorum exemplaria ſuo loco producturi ſumus. *Tenias* vocat Iſidorus XIX. 31. *Tenia eſt vittarum extremitas dependens diverſorum colorum*. Mitram hanc, quae capiti circumponebatur, Helenae adtribuit Moſchus, & mitrae circumvolutionem ſaepe notat Herodotus.

Altera vero rotunda erat, cujus aperte imaginem ſubiiciemus infra Tab. LXVIII., quae omnium ſimpliciſſima erat, & unius vinculi tractu capillitium univerſum includebat, niſi quod hinc inde ſupra genas unum, vel tres cirros minores, quos *Ancias* vocat Divus Iſidorus XIX. 31., effundebat: *Anciae ſunt cincinni dependentes prope auriculas, graeco vocabulo ab auribus dictae...... Lora vero, quibus mitra alligabatur, quae nuncupari ſolebant redimicula*: Id geſtamen Etruſcis feminis ſolemne erat in pompis Bacchicis, ob extremitates illas in occipite fluitantes ad inſtar ſerpentum; apud Romanas vero ornatus erat nocturnus. Propert. II. 29.

Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae.

Calanticam appellat Nonius XIV., *Textam* Varro de Ling. Lat. lib. IV. & *Ricam* a Ritu.

In fronte vero lamellam auream proceriorem in medio apponebant, quandoque radiatam, aut baccis inſignibus locupletatam, ut frequentibus exemplis demonſtrabimus.

Vaſa haec inter munera Nuptialia computanda ſunt, in quibus ſponſi pactam ſibi uxorem ad vivum exprimi curabant ad illarum gratiam ineundam, ut in convivio Nuptiali adhiberentur, ſive in uſum caeremoniae, qua introductum erat, ut aqua produceretur in pompa.

His circa cultum praemiſſis, caeremonias perſcrutemur, quas inter primum locum obtinebant Sacrificia praeparatoria, quae mater pro filiae Nuptiis in hac Tabula perficit.

Sponſa virginali habitu induta ſitellam ad aram defert, ut ſacra faciat.

Mater e contra Veſtem Nuptialem adfert, de qua Feſtus in Regillum:

gillum: *Regillis tunicis albis, & reticulis luteis, utrisque textis sursum versum a stantibus pridie Nuptiarum diem virgines indutae cubitum ibant ominis caussa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet*: Quemadmodum vero ante patrios Lares, & adhibitis Sacrificiis, haec tradi solebant, jam nullus dubito, idem factum fuisse cum tunica recta virgines a matribus induerentur. Ceterum vestes virginales Deabus fuisse resignatas, alibi intuebimur, licet aliquando haec indumenta veluti obsoleta donari ancillis consuevissent. Homer. Odys. VI. vers. 27.:

Σοὶ δὲ γάμος σχεδὸν ἐςὶν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Ἐντύνεαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν κέ σ᾽ ἄγωνται.

Tibi autem Nuptiae prope sunt, ubi oportet pulchras quidem (vestes) *ipsam*
Indui, alias autem his praebere, qui te ducent.

Lararium apertum est, unde caput educit Dea quaedam veluti sacra suscipiens. Praesentes Deos Nuptiis reputabant Ethnici, cujus vanitatis testes uberrimas induco has Picturas. Poetae passim eumdem errorem secuti sunt in Epithalamiis, ut in iis, quae supersunt Claudiani, & Sidonii, ne privatorum conjugia sequioris essent conditionis, quam quod fuerit illud Pelei, & Thetidos, quod universus Deorum caetus frequentavit apud Catullum.

Quod vero in hoc Larario unicum Deae caput expressum sit, ignaviae Etrusci Pictoris non est imputandum, nam Antiqui in Larariis servabant etiam Deorum, Dearumque capita marmorea pectore tenus expressa, in postica parte ita excavata, ut antiquissimos, minutosque familiae Deos veluti in alveolo custodirent. Exemplum hujus consuetudinis produxi ex meo Museo in Dissertatione de Genio Domestico Tabula VII. Mus. Etrusc. Tom. III. Clas. IV. Hujusmodi Protomes si in Larario pingendae essent, non aliter, quam in hac Tabula factum est, praestandum fuisset.

Tab. XIX.

SACRUM NUPTIALE.

IDem argumentum exprimitur in hac Tabula, in qua mater repraesentatur, quae, elata super Aram patera, pro filia adstante Diis sacrum offert.

Tab. XX.

IDEM ARGUMENTUM.

MAter altera, & in conspectu Lararii prope Aram domesticam sacrum parat. Dextera flabellum adtollit, munus Deabus gratissimum, & quo frequenter Etruscae Matres, cum Diis operarentur, utebantur reverentiae caussa, ne nudis oculis adparentes Deos respicere viderentur. De hac inani observatione fusius agendum nobis erit, cum Bacchanalia tractanda suscipiemus. In his enim Deum manifeste sibi adparere initiati jactabant, quod quia exitiale reputabant, vannum oculis praeferebant, cujus interpositione poena eludebatur. Matrona manu sinistra uvae racemum adfert, munus Genio, & Baccho gratissimum, utrumque enim Nuptiis interesse, jam notavimus.

Nata e contra struem in disco defert, fortasse molam salsam, sive placentam Genio delibandam.

Tab. XXI.

IDEM ARGUMENTUM.

EX hac Tabula intelligimus usum Altarium in Columellae morem erectorum, ut in praecedentibus Tabulis conspeximus. Stipites hujuscemodi proprie nec Foci, nec Altaria dici possunt, non enim prunae marmori imponebantur, sed tripodi, seu candelabro, quod Columellae imponebatur, in cujus superiore disco carbones parari solebant pro thuris, & vini excipiendi officio. In hunc igitur Craterem mater ex acerra tribus digitis thus imponit. Ovid. Fast.

Et digitis tria thura tribus imponit in Aram.

Velo sacro superhumerali utitur, quae formula solemnis erat in sacrificando.

cando. In ejus extremitatibus globuli aerei infixi ſunt, ut compoſite, & eleganter ex utraque parte penderent. Horumce globulorum, qui in ora veſtium appingebantur, nonnullos conſpiciendos collegi in meo Muſeo.

Foco imminet Lararium, unde defluit corona ſoluta, & in Nuptiis uſitata, cujuſmodi vidimus in Tab. V., & VI., & infra ſaepe occurrentes adnotabimus. De his Plaut. Aulul. II. 8.:

Nunc thuſculum emi, & has coronas floreas,
Haec imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae Nuptias.

Sub Larario pendet e clavo virginale cingulum, inde, veluti Diis auſpicantibus, accipiendum.

Tab. XXII.
DEA VIRGINENSIS IN LARARIO.

ASueſcamus oculos domeſticis Etruſcorum Larariis, quae frequentiſſime nobis occurrent, ne illa cum Deorum publicis Templis confundentes Etruſcorum inſtituta, & mores perturbemus. Lararia Etruſcorum domeſtica communiora in pariete exſciſa erant in modum alveoli clauſi forinſecus, & peſſulo firmati, nec niſi in ſolemnibus diebus aperiri ſolebant. At contra Lararia procerum ſcrinia erant, ſeu armaria in modum Sacelli extrinſecus ornata, ac a ſolo elevata, in quibus Deorum domeſticorum ſimulacra ſervabantur, quibus reſeratis, Deorum majeſtatem per totam domum diffundi reputabant, ut praemiſimus in Tractatiuncula de Laribus Etruſcorum, & infra ſaepius obſervabimus. In his quot quiſque vellet, Numina dedicabat, Veſtam praeſertim domorum cuſtodem, Deos Conjugales, Natalitios, atque infra hos omnes Lares domeſticos, publicos, viales cum comparibus feminis, Bacchum, & Baccham, & Genios.

Quae ſit Dea, quae aperto Larario nobis occurrit in hoc Vaſe, aſſerere non audeo; conjicio tamen, ex iis eſſe, quibus in Nuptiis munera offerri ſolebant. Has inter cenſebatur Dea Virginenſis, cui virginalem Zonam ſuo auſpicio ſolutam cuſtodiendam commendabant. De hac Hotomannus de Rit. Nupt. Cap. XXX. Hoc loco Dea, adaperta arcula, munus ſibi reſervatum ſpectat.

Nec repugnarem, si quis Fortunam Virginalem hic referri reputaret, cui Virginalia indumenta sponsae resignabant, de qua Arnobius lib. II.: *Puellarum togulas ad Virginalem defertis Fortunam*: & Varro apud Nonium II. 926., ubi loquitur de quodam Simulacro: *Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunae simulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum*: quas undulatas togas eas esse puto, quas in Tractatiuncula de Re Vestiaria exposui, & in Tabula expressi numer. 6., 12., 19., & 21.

Huic quoque Fortunae Virginali coronam imponebant Nuptae, a quo officio bis nuptae repellebantur, ut tradit Servius Aeneid. IV. 19. Ceterum Deam Virginensem, & Fortunam Virginalem idem Numen fuisse conjicio, quam suspicionem ingerit mihi Divus Augustinus lib. IV. de Civ. Dei cap. 11., qui utramque confundit. Et revera nomen Fortunae saepissime aliis Deabus tribuebatur, immo & Diis, quemadmodum Genium Urbis Fortunam quoque nuncupabant.

Fortunae etiam adludunt duo copiae cornua hinc inde disposita, quibus non poma, non uvae prominent, sed gemina infantum capita, omen non obscurum futurae foecunditatis. Hanc exprimendorum votorum formam, ut cetera, ab Etruscis Romani acceperunt, ut ex illorum Nummis imperialibus adparet.

Caput Sponsae praeter reticulum, etiam margaritis intra capillos insertis adornatur, ut Magnatum nostri temporis feminae facere solent, quae unionum lineas capillis intexunt, & tremulas gemmas inserunt ambitione sexus immortali, semperque sui simili.

TAB. XXIII.

IDEM ARGUMENTUM.

IN hac Tabula eadem omnino observabis, quae in superiore; Nisi, quod Dea flabellum pulcherrimum sibi a virgine dono datum ostentat. Alibi sustollit speculum, aliaque hujuscemodi jocalia, quae cariora fuerint in statu virginali, quemadmodum infra observabimus adolescentulos, cum togam sumerent, jocularia puerilia resignasse.

Cistae hinc inde dispositae mundum muliebrem continent. Immi-

nent

nent his margaritae, orbiculi aurei, ſeu fibulae, ſive inaures, quemadmodum geſtat ſubjectum caput Matronae, & in medio reticula expanſa, atque gemmata. Intra aediculam Deae clavus infixus eſt, qui ad nuptam pertinebat; alibi enim oſtendimus, Etruſcos apud Lares tot clavos pangere conſueviſſe, quot capita eſſent in familia. Quiſque ſuum floribus, ſertis, & placentulis adornabat. Ex eo pendet Zona virginalis inde ſumenda ad Nuptias ineundas, ſeu reſtituta poſt celebratas. Div. Auguſt. de Civ. Dei VI. 9.: *Et certe ſi adeſt Virginenſis Dea, ut virgini Zona ſolvatur*. Apud Graecos vero, ut alibi monuimus, poſt primum partum Zona ſolvebatur, ex veteri Scholiaſte in Apollonium Argonaut. lib. I.: Λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. *Zonam enim ſolvunt, quae primum pariunt, eamque Dianae conſecrant*; Itaque Athenis erat Templum Dianae Zonam ſolventis.

Caput mulieris ſubjectum manifeſtius oſtendit formam ornamentorum, de quibus ſupra mentionem fecimus. Videas hic formam ſemicirculi frontalis ex lamina aurea conſtantis, adſurgentibus radiis quandoque acutis, & ſaepe rotundis. Semicirculus iſte redimiculo reticuli ſupra auriculas firmabatur. At pone auriculas Anciae dependebant, nempe tres capillorum Cirrhi, quale ornamentum nec ancillae, nec virgines uſurpabant, ſed pertinebat ad ſponſas. Huc refero caeremoniam, qua veteres *ſenis crinibus* ſponſas comebant. Feſtus: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod his ornatus vetuſtiſſimus fuit; quidam, quod eo virgines Veſtales ornentur*. Scio quidem, fuiſſe, qui eam vocem *Senis* non numeralem exiſtimarint, ſed idem importare, quod *Vetulae*, quaſi omen longaevitatis referret. At contra pugnat Antiquitas, quae nobis objicit ſimulacra trinis hinc inde Cirrhis adornata, ut in capite marmoreo Fauſtinae minoris in meo Muſeo.

Obſervandum eſt, hoc reticulo uſas eſſe feminas Etruſcas, cum domeſtica ſacra facerent; Hinc illud Alexandri Severi monitum apud Lampridium: *Matronas regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua Sacrificium facerent, & uno pallio auro ſparſo, & cyclade, quae ſex unciis auri plus non haberet*.

Conus acutus in occipite ex oſcitantia Pictoris noſtri temporis in ſchedam irrepſit, quod & ſupra monuimus ad Tab. XIX. num. 3.

TAB.

Tab. XXIV.

IDEM ARGUMENTUM.

Congruit antecedentibus praesens emblema; differunt vero donaria hinc inde Larario congesta. Jacent humi lances, seu potius placentae, quarum oblatione Deos sibi conciliabant. Sunt etiam hic geminae cistae ad mundum muliebrem continendum destinatae, quibus imminent flabella pulcherrima, qualia describit Propert. II. 16.:

Et modo pavonis caudae flabella superbi.

Haec instrumenta non ad voluptatem tantum, sed etiam ad usum Religionis pertinebant, ut supra innuimus.

Geminae fasciolae parieti suffixae sunt singulae e geminis clavis, quas ego ad jugum maritale pertinere reor.

Tab. XXV.

SPONSA SPECULUM OFFERENS DEAE IN LARARIO.

Deae sedenti in Aedicula, sive Larario, & scabellum pulcherrimum calcanti, fortasse Junoni Jugali, aut Veneri, occurrit puella tunicata, quae speculum gemmatum illi objicit, ut in eo Dea sese respiciat; quod genus stolidissimi officii frequens fuit apud Ethnicos, ut liquet ex Seneca Epist. 95.: *Vetemus speculum teneri Junoni*; Id damnat Augustinus de Civ. Dei VI. 10. *Sunt, quae Junoni, aut Minervae speculum teneant, & capillos disponant longe a Templo, non tantum a simulacro stantes, digitos moveant ornantium modo.*

Id instrumentum non pateram, sed speculum nuncupavi, nam paterae simplici limbo definiebantur, ne quid sacri liquoris inter externa parerga remoraretur. Specula e contra amplissimum undequaque ornatum admittebant. Seneca Nat. Quaest. lib. I.: *Postea rerum jam potiente luxuria, specula totis paria corporibus auro, argentoque caelata sunt, denique & gemmis adornata.* Unicum ex iis ex veteri sepulcro erutum tractavi hic Ferrariae in Aedibus Religiosissimi, atque ornatissimi Viri Antenoris Scalabrinii S. Ferrariensis Ecclesiae Canonici. Lamella est ex aere

aere albicante rotunda ſpecie, utrimque exactiſſime levigato, ſemipedali diametro, exſtantibus circa limbum radiolis ad inſtar liliorum, & tenui manubrio inſtructum ejuſdem operis, & materiae. Aliorum fragmenta alibi obſervavi, integerrimum id unum.

Circumſtant Lararium Deae quatuor officia Nuptis apta exhibentes. Prima ſtrigilem dextera adtollit in uſum balnei Nuptialis, de quo infra in ſua ſede; Siniſtra vero lancem cum globo, qui fortaſſe, ut ſtrigili reſpondeat, vel guttus olei eſt, vel ſpongia, de qua pariter infra agendum erit.

E regione Dea altera coronam ſuſtollit, qua Sponſam coronet. Id officium Claudianus de laud. Serenae Reginae uni ex Muſis adtribuit, Sidonius vero in Epithal. Polemii adſcribit Palladi:

Amborum tum Diva comas viridantis olivae
Pace ligat, jungit dextras, & foedera mandat.

Ego vero Dianam hic recognoſco, cujus aſſerti rationem infra adducam ad Tab. XXXIII.

TAB. XXVI.

DEA VIRGINENSIS CUM DIIS CONJUGALIBUS.

INtuenti mihi hunc Deorum concurſum ad Nuptias celebrandas occurrit locus D. Auguſtini de Civ. Dei VI. 9., qui mire explicat, ſimulque deridet mentem Antiquorum: *Cum mas, & femina conjunguntur, quid impletur cubiculum turba Numinum? Adeſt enim Dea Virginenſis, & Deus Pater Subigus, & Dea Mater Praema, & Dea Partunda, & Venus, & Priapus.* Sint ne hi, quos in hoc Vaſe, & aliis delineatos obſervamus, difficile eſt definire, cum eorum ſymbola ignoremus. Eam tamen, quam in Larario flammeum ex humero ſublevantem conſpicimus, ſuſpicor, Deam eſſe Virginenſem, quam magis uſitato vocabulo Latini Pudicitiam appellarunt.

Speculum, quod in praecedente Tabula a Sponſa Deae anteponitur, hic a Dea ſtringitur, dubium interim, an veluti proprium adtributum, ſeu potius a virgine dono datum; Conſtat enim ex Auſonii Epigrammate 54., & ex antiquis inſcriptionibus, ſpecula Deabus dedicari, veluti munus gratiſſimum, conſueviſſe.

Spon-

Sponſa jam ſtolata Sacellum ingreditur ad vota concipienda, renidente circum cubiculo floribus parieti ſuſpenſis.

Cellam circumſtant Dea coronam deferens, quam alibi ſuſpicati ſumus, eſſe Fortunam Virginalem, & Bacchus uvae racemum gerens, & tigillum incognitae ſignificationis.

In poſtica ſedet Dea lancem ſuſtinens, e qua duo ramuſculi, fortaſſe ex lauro, virentes exſiliunt ad geminos ſponſos aqua luſtrali ſpargendos. Id ipſum ſaepiſſime occurrit in hiſce Picturis Nuptialibus. De hac conſperſione teſtem adduco Feſtum in *Fax*: *Facem in Nuptiis in honorem Cereris praeferebant, aquaque ſpargebatur nova Nupta, ſive ut caſta, puraque ad maritum veniret, ſive ut ignem, atque aquam cum marito communicaret*. Hinc infelix Arethuſa apud Propert. IV. 3. ſe ſtygia unda conſperſam fuiſſe in connubio lamentatur:

Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everſo lumina nigra rogo.
Et ſtygio ſum ſparſa lacu.

Imminet capiti hujus Deae vinculum maritale ex duobus clavis ſuſpenſum, alio nomine Jugum nuncupatum, quod in conjugali caeremonia collo utriuſque ſponſi imponebatur, de quo Tibull. II. 2.:

utinam ſtrepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor,
Vincula, quae maneant ſemper.

& Serv. Aeneid. IV. 16.: *Vinculo jugali propter Jugum, quod in Matrimonio ponebatur conjugendis, unde & Juno Jugalis*. Ibique Cerdanus: *Nova Nupta, ſponſuſque veteri ritu vinculis jungebantur, vitta nimirum quadam amiciebantur, quaſi viderentur eidem Jugo annecti; fiebat id ante Aram Junonis Jugae*. Hinc Plautus Curc.: *Jam ne ea fert jugum?* Interim an Dea ſedens ſub hocce jugo dupliciter ſinuato ſit ipſa Juno, vel alia, minime adfirmaverim.

Baccho ſubjecta eſt Dea Libera cum uvae racemo; ſaepe enim obſervavimus in hiſce Picturis Nuptialibus Diis omnibus Deas compares eſſe conjunctas, ne, cum Matrimonia tractarent, caelibes adparerent. Haec Dea arculam defert, vel ad ſuſcipiendam veſtem Virginalem jam emeritam, vel ad Nuptialem cum mundo muliebri inde producendam. Linteolum vero dorſuale ad ſacrum peragendum brachio ſiniſtro ſubſtinet. Juve-

Juvenis veluti adſcendens cum palliolo ſiniſtrae advoluto, & lauri ramo, quo poſtes mariti ornabantur, & coronam deferens, reſpondet utique Deae ſuperiori. Sit interim Lar, Genius, vel ipſe Apollo, indeciſum relinquo. Sub Deorum pedibus patellae tres paullulum inclinatae conſpiciuntur, ad Sacrificia utique pertinentes, ſed myſterium hujus numeri inquirendum aliis remitto.

TAB. XXVII. XXVIII. ET XXIV.

SPONSA DEAE VIRGINENSI SACRA FACIENS.

STans in Sacello, ſeu Larario ornatiſſimo Dea Virginenſis conſpicitur, flammeo caput obnubens, leniter innixa Vaſi aquario, in quo lympha a caeremoniis praeſcripta praeferebatur. Vas iſtud hic delineatum in hac Pictura adamuſſim reſpondet lagenulae, quam in tribus hiſce Tabulis explicandam proponimus. Hinc ſuſpicamur, Vaſa hujus formae, cujuſmodi ſunt alia expoſita Tab. XXVII., & XXX., explicitis caeremoniis inter donaria Deorum conſtitui conſueviſſe, ut propemodum haec Dea illud cubito praemens poſſidere videatur.

Adit tutelare Numen puella flabellum praeſeferens, cujus maximus uſus fuit in Nuptiis ad oſtentationem pudoris, illo faciei praepoſito, & praeſertim cum mulieres Deos adirent. Zonam virginalem Divae hactenus cuſtodi reſignat cum libis, atque uvae racemis, licet ruditer expreſſis, nomine conjugum oblatis.

Jugum virginale haud longe pendet ex duobus clavis, iterumque geminae placentulae; haud levi indicio, in ſingulis hiſce dedicationibus faſciarum placentulas ſemper fuiſſe repetitas.

Deae pompam nobilitantes hinc, & inde munera conferunt. In parte dextera ſedet Dea cum intorta corona. Hujuſmodi unam ferream, faſciola ex aurichalco circumductam e ſepulcro Cuprenſi erutam dono obtinui a Cl. Stephano Borgia, nunc Romae Sacrarum Indulgentiarum Praefecto, qui avitam nobilitatem omnium bonarum artium ſplendore condecorat; vivum exemplar piiſſimi, ac doctiſſimi Alexandri Patrui ſui Archiepiſcopi Firmani. Etiam in aereo Etruſco ſigillo mei Muſei

Dea simili strophio coronata adparet. Strophium a quibusdam Scriptoribus usurpatur pro fascia, quae virginales papillas cohiberet, in quo sensu eam usurpavit Nonius in *Strophium*, & Catull. LXIV. 65.:

Non tereti Strophio luctantes vincta papillas.

Sed Plinius XXI. 1. 2. apprime Strophium reponit inter coronas, & id nostrum describit: *Quaedam coronae per coronas currunt. Tenuioribus utebantur antiqui Strophos appellantes, unde nata Strophiola.*

Haec Dea lancem adtollit pomis, seu ovis refertam, ad lustrationes. Hinc Ovid. de Art. Am. II. 329.:

Et veniat, quae lustret anus, lectumque, locumque,
Praeferat & tremula sulphur, & ova manu.

Ova etenim, veluti purissimae naturae productiones, puritatis symbolum putabantur.

Ante illius genua cista nucibus refertissima constituta est, gratissimum missile pueris, qui Nuptiarum pompam sequebantur, & importunissime illas expetebant, ut liquet ex Catulli carmine Nuptiali 128., & ex Virg. Eclog. VIII. 30., cujus consuetudinis videas apud Servium, & Cerdanum in eumdem Virgilii locum uberrima testimonia.

E regione Dea altera mirteae virgae innixa vittam defert ex multis illis, quae in solemnitate connubiali adhibebantur, aut Diis dedicabantur.

In linea inferiore Dea una sedens arculam mundi muliebris custodem aperit, sive interim ea sit, in qua sponsae virginalem togulam reponebant, & Fortunae consignabant. Arnob. lib. II.: *Puellarum togulas Fortunam defertis ad Virginalem.*

Postrema ex hydria arbusculam humi depactam irrigat. Solemne fuit in Natalitiis ramum felicis arboris humi conferere, ut in arborem adolesceret, Genio pueri sacram, de quo infra. Hinc vero suspicari potest, ritum hunc etiam in Nuptiis fuisse usitatum, ut ex arbusculae vivacitate bonum omen matrimonio captaretur. Dea haec conjugalis passis crinibus officium subit, quod iterum, iterumque in hisce Picturis observatur. Sigilla Dearum Etrusca plurima vidi hoc eodem cultu maxime spectanda, ex quo conjeci, Donaria fuisse pro Nuptiarum prosperitate in Templis consecrata. Et revera etiam capillorum solutionem in Nuptiis intervenisse, colligimus ex Optato Milevitano eo in loco, in

quo

quo dolet, Virgines Deo sacras ad matrimonium compelli, proptereaque ad secundam capillorum solutionem: *Quasi secundo coegistis ad Nuptias; ut crines iterum solverent, imperastis.*

In adverso latere hujus Vasis Dii aram circumstant. Juvenis cum thyrso, & flabello, cui subest Dea cum vitta, & lance, subjectum servans globum duplici Zona religatum, quem digito designat, veluti suum peculiare adtributum. Hunc caelestem orbem dixerim, quem Diana quotidiano motu percurrit. Id symbolum leviter attigimus supra ad Tabulam XXIX. Sed hanc meam conjecturam manifestissime comprobat altera Tabula, quam in sua sede exponemus, in qua Diana, seu Luna quadrigam regens id ipsissimum symbolum praesefert stellis distinctum, ut in superiore Tabula XXIX. Quia vero Etrusci Deos compares in Picturis jungebant, credibile est, juvenem illum superius expressum Solem repraesentare. Et revera etiam alia Tabula, in qua, ut praemisimus, quadriga Lunae delineata cernitur, ex alio latere expressam obiicit Solis quadrigam, astris utrinque praeeuntibus.

Bacchus ex latere sedet cum thyrso proferens lancem pomis onustum, sub quo pendet folium fici eidem Deo gratissimum, ut notat Natalis Comes Mythol. lib. IV. cap. 13., cujus adtributi hanc originem refert: *Propter memoriam Sycae in illam arborem versae.*

Dea illi subjecta mihi non alia est, quam Baccha, quae vitis ramum, seu hederae substinet, arculam, & speculum gemmatum manibus adtollens.

Crepidini ara procera insistit, quam Focum domesticum esse reor triplici fascia cinctum, quarum media candida est. Hujusmodi honor domesticis aris ex praescriptis ritualibus tribuebatur. Propert. IV. 6.

Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Costum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Triplex haec Zona duas alias includit, longiorem unam dupliciter sinuatam, breviorem alteram, ex quo suspicamur, jugum conjugale, & Zonam virginalem, antequam Diis appenderentur, arae alligatas fuisse, cum Sacrificium conjugale celebraretur. Observandum quoque est, columellam hanc rotundam quadrato tegmine, ipsoque fastigiato coopertam adparere. Laterculus ille mobilis erat, ut Romae saepe ob-

 serva-

fervavi, rurfufque in Luco facro veterum Pifaurenfium, cum arae Deorum plurimae fuperioribus annis inde defoffae fuerunt. Opercula haec, difpluviata ferta, coronas, aliaque id genus ornamenta non recufabant. Cum vero thure, & vino Sacrificium faciendum effet, laterculo remoto, tripos in columnae vertice fiftebatur.

CLASSIS III.

BALNEA NUPTIALIA.

TAB. XXX. ET XXXI.

IN adparatu Nuptiali difcretam utriufque fponfi lavationem interceffiffe & ratio dignitatis hujus caeremoniae fuadet, & ufus omnium fere nationum, ut Lacedaemones populorum omnium feveriffimi, & a luxu balneorum penitus alieni ter in toto vitae curriculo lavationem admittere profiterentur, in Nativitate, in Nuptiis, & in Sepultura. Accedunt veterum monumentorum teftimonia, inter quae primum locum obtinet Pictura Nuptiarum, quas vocant Aldobrandinias.

Hic ritus Religione non carebat, nam aquae ineffe vim quamdam diluendorum criminum reputabant, praecipue fi de fonte aliquo feleċtiffimo defumpta foret, eoque deficiente, de puteo facro, ita ut lavatio munditiae corporis fimul, & animae per quamdam fpeciem expiationis conferret.

Ritum hunc ab Etrufcis noftris potiffime frequentatum fuiffe, docent fequentes Tabulae, multoque his plures, quas uti fupervacaneas publicare praetermifimus, ut facilitati editionis hujus Operis confuleremus. Harum in una mulier nuda fedet in Solio, & unico tantum amuleto e collo pendente adornata, unde arguimus, gemmas hafce prophylacticas, quibus virtutem magnam ineffe putabant, neque quum lavarentur, depofuiffe. De his multa praemifimus in libris *De Gemmis Aftriferis*.

Igitur in hac Tabula plura notanda occurrunt; forma Balnei ad inftar crateris procerae columnae impofiti, ut in praecedentis Tabulae explicatione obfervavimus. Eamdem ipfam formam ex vitro antiquo expofuimus in littera initiali epiftolae nuncupatoriae Tomi III. Veterum Lucernarum.

Prope

Prope Balneum conſpicitur ſedes, in qua lavantum veſtes deponebantur, & lintea ad corpus abſtergendum poſt lavationem. Sponſa nuda ſtrigilem e manu alterius mulieris adſtantis recipit, & ſpongiam poſtulat ab eadem oblatam. Haec omnia rurſus recurrunt in Tabulis ſubſequentibus.

Mulier dupliciter tunicata vel matrem ſponſae, vel Pronubam refert, non vero ornatricem, aut ancillam balneariam, repugnante veſtitu matronall cum calceis. Ejus tunica ſuperior brevior eſt, atque undulata, quam lineam fuiſſe conjicio in balneari miniſterio, ne tunica communis, atque domeſtica coinquinaretur, aut madefieret. Ceterum hanc formam ſuperioris indumenti numquam alibi obſervavi, praeter quam in hac Tabula.

Spongiae, ut alibi obſervabimus, cum de lavacris adoleſcentum, qui virilem togam ſumpturi ſunt, erit pertractandum, in Balneis frequentiſſime adhibebantur. Plinius XXXI. 11.: *Spongiae praeſtant, & ſtrigilum vicem, linteolorumque.*

Ceterum Pronubae omnem Nuptiarum adparatum curabant, ut colligitur ex Statio Sylv. I. 3., ubi Venerem ipſam inducit incognitam in Nuptiis Violantillae vicem Pronubae ſubeuntis:

Ipſa toros, & ſacra parat, caetuque latino
Diſſimulata Deam, crinem, vultumque, genaſque
Temperat, atque nova geſtit minor ire marita.

In adverſa parte hujus Vaſis ſignata Tab. XXX. exprimitur argumentum longe diſſitum a ſuperiore, quod ſaepe obſervabimus a Pictoribus Tuſcis factum fuiſſe in gratiam varietatis; nam continet actionem illam, qua matres familias adoleſcentibus ſuis togam virilem induebant. Conjungunt tamen utrumque argumentum vota foecunditatis concepta in ipſis Nuptiis, ut quae ſponſa ſalutabatur, aliquando virilem prolem ad pubertatem deductam inter viros computaret. Surgit mater ſtolata e ſella pulvinari inſtructa, & imperioſo quodam geſtu ad filium converſa aliquid videtur imperare.

Stat filius toga laciniata indutus, ſed exertus, quod domi facere licebat, quamquam, cum in publico prodiret, per annum erat interdictum. Nec putarem, colloquium id interceſſiſſe inter ſponſum, & ſponſam, nam novae nuptae geſtus ille minax arrogantiae fuiſſet adtribu-

tributum, atque animo elatiori contra mentem Pictoris, qui ominosa cuncta evitabat. Baculus etiam, quem gestat adolescens, vel Saturnalia, vel Liberalia Festa designat, quibus adolescentes ad usum togae admittebantur.

Supra matris familias cathedram conspicitur triangulus quidam reticulatus, qui mihi nil aliud repraesentat, nisi forulum Deorum domesticorum alibi quadratum, & saepissime rotundum.

Tab. XXXII.

IDEM ARGUMENTUM.

IN linea inferiore sponsa cum lotrice penitus nudae ad Balneum accedunt, adstante Pronuba cum tunica scutulata, simulque velata, quemadmodum in re sacra, aut praeparatione rei sacrae fieri solebat. Lotrix solutis crinibus aquam tentat, ne plus aequo ferveat. Idem observamus in Nuptiis Aldobrandiniis.

Sponsa reticulum e crinibus detrahit, ut diffusi, & ipsi abluantur, & praeterea ne quid ligatum superesset, & expiationem vitiaret, nam, ut ait Servius in IV. Aeneid. 518.: *In sacris nihil solet esse religatum*.

Lotrices & ipsas nudas officium suum praestitisse, ut expeditiores essent, non dubitamus, nam & sequentibus saeculis ad hocce obsequium admissi fuere etiam Eunuchi, ut colligitur ex Claudiano Eutropium exsibilante:

Pectebat Dominae crines, & saepe lavanti
Nudus in argento lynpham praestabat Alumnae.

Nec tantum Eunuchorum consortium in Balneo, sed etiam mulierum conjugio fruentium virgini castae convenire, negat Divus Hieronymus scribens ad Laetam.

In altero hujus Vasis latere sponsa jam lota, sed adhuc nuda ad matrem accedit, quae tuniculam e scrinio producit ad filiam adornandam.

TAB.

Tab. XXXIII.

SPONSA CAPUT COMENS.

NOvam Nuptam inter ancillas ornatrices caput comentem in hac Pictura expressam describit Euripides in Medea 1169. sub persona Glaucae Creontis filiae :

Λαβοῦσα πέπλους ποικίλους ἠμπέσχετο
Χρυσοῦν τιθεῖσα ςέφανον ἀμφὶ βοστρύχοις,
Λαμπρῷ κατόπτρῳ σχηματίζεται κόμην,
Ἄψυχον εἰκὼ προσγελῶσα σώματος.
Κἄπειτ᾽ ἀναςᾶσ᾽ ἐκ θρόνων, διέρχεται
Στέγας, ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί.

Acceptam variam vestem induit
Ponens auream coronam supra cincinnos,
Nitidum ad speculum componit comam
Inanimi corporis imagini arridens.
Deinde ubi surrexisset de solio, perambulabat
Aedes, delicate incedens candidis pedibus.

Ancilla in conspectu scriniolum segmentatum, & serpentibus undique ornatum, de quo symbolo paullo infra agendum erit, sponsae offert, ex quo pendet fascia virginalis, qua pectus cingat, & nodo herculaneo ita de more componat, ut facili tractu a sponso dissolvatur, cujus nodi formam saepe alibi observabimus. Haec una est ex illis votivis, quas Dianae resignabant Nuptae, & Larariis suspendebant.

Altera ornatrix cistam, & fasciam sustollens oleum ex gutto in sponsae caput effundit.

Tab. XXXIV.

PELEI, ET THETIDOS NUPTIAE.

ETruscam caeremoniam nobilitat, ut saepissime Graeca fabula, & ipsa Nuptialis ex heroicis temporibus exquisita; ac proinde diligenter investiganda.

Sponsa seminuda sedet in throno jam jam in thalamum deductura. Ipsam adit sponsus unico palliolo contectus, ut in Nuptiis Aldobrandi-

brandiniis iterum obſervatur, in quibus ſyndone circumfuſa aliquantulum tegitur, veluti mox velamen omne abjecturus.

Baccha cum thyrſo fibulam ex tunica, qua induitur, ſolvens ſponſam adloquitur, & exemplo confirmat, ut veſtem deponere non vereatur.

Apollo ſolutis crinibus, & lauri ramum ſuſtinens ſponſae praeſto eſt, nam & ipſe inter Deos conjugales cenſebatur. Virg. Aeneid. IV. 58:

mactant lectas de more bidentes
Legiferae Cereri, Phoeboque, Patrique Lyaeo,
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curae;

nam ipſe praeerat auſpiciis, quae Nuptiis praemitti opus erat, ut proſpere ſuccederent.

Juno ſedens in ſcopulo ſceptrum ſtringens, capite coronato, Nuptiis adſiſtit, tamquam praecipua tutrix connubiorum, ut ait Servius in locum citatum, unde conjugalis nomen ſortita eſt.

Horae geminae ſuperne volantes ſponſam ad thalamum invitant. Iſte vero tantus, & tam grandis adparatus fabulam aliquam heroicam ſubeſſe indicat; nec fortaſſe a vero aberraverim, ſi Nuptias Pelei, & Thetidos ſuſpicer in hac Pictura repraeſentari, in quibus univerſus Deorum caetus interfuit, una excluſa Diſcordia.

Et revera principem locum in illa occupat Juno, quae ſimul cum Jove Nuptias haſce conciliaverat, ut refert Q. Smyrnaeus Paralip. III. 98., ubi Juno Apollinem increpat, quod Achillem occidiſſet:

Φοῖβε, τίη τόδ᾽ ἔρεξας ἀτάσθαλον ἤματι τῷδε;
Λησάμενος κείνοιο, τὸν ἀθάνατοι γάμον αὐτοὶ
Ἀντιθέῳ Πηλῆϊ συνάρσαμεν;

Phoebe, quare ſcelus iſtud hoc die patraſti?
Connubii illius oblitus, quod ipſi nos Dii
Semideo Peleo conciliavimus?

Quin & interfuiſſe convivio, ſcripſit Catullus has Nuptias deſcribens:

Ipſe Pater Divum Sancta cum Conjuge, natiſque
Advenit Caelo te ſolum, Phoebe, relinquens.

Haec autem auctoritas minime excludit Apollinem ab hoc convivio, nam plerique veterum Mythologorum Phoebum, hoc eſt Solem diſtinguunt ab Apolline. Utcumque ſit, Smyrnaeus loco citato Phoebum ipſum introducit, & cantantem deſcribit in hoc convivio:

σὺν

σὺν δ᾽ ἐνὶ μέσσοις
Δαινύμενος ἤειδες, ὅπως Θέτην ἀργυρόπεζαν
Πηλεὺς ἦγετ᾽ ἄκοιτιν ἁλὸς μέγα λαῖτμα λιπούσης.

unaque in medio
Epulantium cantabas, quo pacto argenteis pedibus Thetin
Peleus uxorem duceret, cum vaſtum maris gurgitem deſeruiſſet.

Poſt Pelei terga conſpicitur Baccha cum thyrſo frondente; nam & Bacchus, & Ceres, & Juno inter Deos conjugales adnumerabantur, ut ex eodem Virgilio.

Horae quoque ſemper interſunt in Heroum Nuptiis, quod non ſolum Graecorum, ſed etiam Etruſcorum exemplis comprobatur, nam ſupra in Tab. VII., in qua expreſſa eſt pompa Nuptialis Herculis, & Hebes, Horae intermixtae conſpiciuntur. Illae etenim inter Deas auſpicatiſſimas cenſebantur, quia, ut ait Theocritus Idyl. 15.:

Ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ
Ἔρχονται πάντεσσι βροτοῖσιν αἰεί τι φέροισαι.

Horae carae, & deſiderabiles
Veniunt omnibus hominibus ſemper aliquid ferentes.

Tab. XXXV.

SPONSA POST BALNEUM ORNATA.

Florida veſte cingitur Sponſa, quae flammeo, ſeu ſtola capiti inducta moerens ſedet in balneo jamjam lotura. Nullum hic faſcinum, cui Romanae mulieres inſiſtere jubebantur, ſed omnia in ipſa ſuperſtitione ſpirant Etruſcae Nationis dignitatem.

Pronuba velata, ut in Nuptiis Aldobrandiniis, illam affatur, & turbatam confirmat, videturque inſinuare illud Catullianum:

At tu ne pugna cum tali conjuge virgo.

Idem officium praeſtat mulier altera poſt ipſam ſedens.

Amor volitans virginale cingulum Sponſae adfert, ſive interim ſit zonula illa, ſeu jugum, quod collo utriuſque conjugis imponebatur, ac deinde ob rei memoriam a duobus clavis ſuſpendebatur prope Deorum domeſticorum imagines, de quo ſaepe infra dicendum erit.

Lar vialis de more calceatus, & geminas lanceas ſtringens (alibi

unica tantum, ſed bicuſpide armatur) ſponſam demulcet, ut novam domum ſubeat, quae ſub ipſius tutela poſita eſt, ſeſeque illi offert contubernalem.

Mulier altera flabellum, & theſaurum oſtentat cum nuptiali adparatu. Magnus crater e balneari columna ſubmotus jacet humi, nec procul conſpicitur tripos, cui ſubjectis ignibus aqua tepefieri ſolebat. Speculum gemmatum jacet humi ſub balneo neglectum, dum ſponſa moerens ad viri adventum pavet.

Arbor Genio ſacra nuper in facti memoriam humi conſita obſervatur, ad cujus umbram ſedet Lar domeſticus nodoſo fuſte, ut fere ſemper, munitus.

Contra Larem ſedet Dea omnigeno cultu ornata lancem adtollens cum ovis luſtrationi deſtinatis, forte Juno Jugalis, aut Venus, aut Veſta. Haec vero non ſecus, ac ſponſa, ac mulier altera, quae flabellum adtollit longis cirris in pectus, & terga defluentibus ornatae ſunt, nam ſponſae ſenis crinibus capillos diſtinguebant, ut ex Feſto ſaepe explicavimus. Ceterum hoc, & alia hujus notae Vaſcula, tantam Pictoris diligentiam, & artis luxum ſpirant, ut ea procul dubio adtribuam aetati tardiori, in qua multum de priori ſeveritate, ac ſimplicitate fuerat remiſſum.

Tab. XXXVI.

PARS POSTERIOR EJUSDEM VASIS.

Dearum chorus auſpicatiſſimas reddit Nuptias. Arbuſculae geminae ob ſponſum, & ſponſam humi recens conſitae, & vivaciſſime florentes omen faciunt felicium Nuptiarum.

Dea armillam ſuſtinens inſidet togae circumplicatae. Toga enim ſterni ſolebat thalamus novae Nuptae. Arnob. lib. II.: *Cum in Matrimonia convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis.*

Lar familiaris, defixo in terram baculo, Deam intuetur, & faſciam oſtentat, in cujus unica extremitate duo vincula adjecta ſunt, diverſam propterea ab illis, quae ex utraque parte ligamen adjectum continebant.

Similem faſciam ventilat Genius volitans tamquam e Geniali Lecto exceptam. Dextera vero manu ramuſculum ſtringit, ſive aſpergillum, quo nova Nupta perfuſa eſt. Hujuſmodi Zonae ambiguae ſunt, nec facile

cile definierim, ſint ne virginales, quae herculaneo nodo circa pectus puellae componebantur, an potius ſint faſciae naſcituris infantibus in ipſo Nuptiarum limine praeparatae, de quibus infra ſaepe dicendum erit.

Dea ſedens lancem cum pomis, ſive ovis adtollit ad luſtrationem; & faſciam pompaticam gemmis refertam, & fimbriis inſtructam ſtringit.

Altera retrorſum, quae arcam ſponſalitiam ſervat, diſcum alterum cum pomis, ſeu ovis ſuſtollit ad aliam luſtrationem perficiendam, ſive utriuſque ſponſi, ſive cubiculi Nuptialis. Ovid. de Arte Aman. II. 329. alibi citatus:

Et veniat, quae luſtret anus, lectumque, locumque,
Praeferat & tremula ſulphur, & ova manu.

Ultima accedit Dea, quae dexterum pedem adtollit, coronam ſuſtinens, & bifidum arboris ramum ad luſtrationem perficiendam. Flores ubique cum placentulis parieti ſuffixi conſpiciuntur, & thalli virentes, quibus ad aquam luſtralem ſpargendam utebantur:

Spargens rore levi, & ramo felicis olivae.

Quin & in pompis Deorum thallos circumferebant, quos, exacta caeremonia, qui aderant, domum religionis cauſſa reportabant. Apul. Metam. XI.: *Exin gaudio delibuti populares thallos, verbenas, corollas ferentes, exoſculatis veſtigiis Deae, ad ſuos diſcedunt Lares.*

Tab. XXXVII.

IDEM ARGUMENTUM.

SEorſim a balneo conſpicitur Matrona ſtolata, ſive mater, ſeu interim ſit pronuba, quae arculam praeſefert, fortaſſe myrothecium, aut theſaurum gemmarum, dum interim ſponſa nuda ſtat prope balneum, & quam ancilla ſtrigili diſtringit, & linteo pectus abſtergit.

Contra una ex lotricibus nuda ſpeculum illi obiicit, altera infra novum ſpeculum miniſtrante.

Balneum conſecrat praeſentia ſua alatus Cupido, paſſerculum manu oſtentans. Id animal Veneri ſacrum erat, ut ex Hymno Sapphus in Venerem liquido conſtat:

Ἀρμ' ὑποζεύξασα, καλοὶ δέ σ' ἆγον
Ὠκέες ϛρουθοὶ πτέρυγας μελαίνας

 Πυκνὰ

Πυκνὰ δινέοντες ἀπ' ὠρὰν αἰθέ-
ρος διὰ μέσσῳ.
Et venis curru properante vecta,
Te nigris ad me tenues per auras
Passeres alis agiles ferebant
Aethere ab alto.

Hinc mortem passeris non Venus tantum, sed Veneres, & Cupidines deflent apud Catullum III.:

Lugete, o Veneres, Cupidinesque.

Erat praeterea passer foecunditatis symbolum, & felicis auspicii caussa hic introductus.

Ex palma arbore auspicatissima pendet regilla, seu vestis recta, qua novae Nuptae induebantur.

Sponsam respicit Dea e Larario caput producens, quam Venerem pronubam esse, puto. Hac formula saepe Pictores Thusci usi sunt, ut Deos humanis actibus adstantes, atque faventes significarent.

Intra Lararii cavitatem tres globuli dispositi sunt, quod iterum observo in scheda alterius vasis, in quo vir larvatus per scalam Lararium attingens tria haec poma suffuratur. De his infra ad Tab. XL.

TAB. XXXVIII.

PARS ALTERA EJUSDEM VASIS.

SPonsa jam lota sedet speciosissimo in Throno, & ornamenta Nuptialia, quae ex omni parte adferuntur, exspectat. Ex Larario prodit idem passerculus, & coronam sponsae capiti imponit. Hanc a Diis, & praesertim a Venere sponsis tribui solitam recitat Valer. Flac. Argonaut. VIII. 233.:

Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arsuras alia cum virgine gemmas;

& re vera Cupido Veneris Administer coronam alteram sponso reservatam adducit, & guttum olei sponsae crinibus invergendum, de quo Propert. lib. II. 20.

Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus;

Magnum

Magnum enim in Nuptiis erat Amoris Numen. Valer. Flac loco cit.:

Adſunt unanimes Venus, hortatorque Cupido.

Pronuba velata, ut in Nuptiis Aldobrandiniis, ſponſam manu comprehendit, atque confirmat.

Genius volucer faſciam pectoralem ſponſae adtribuit, Diis undique miniſtrantibus.

Quid ultra? Hymenaeus facem adtollit. Claud. in Nupt. Honorii alias citatus:

Tu feſtas, Hymenaee, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.

Hinc vel ex unico argumento intelligimus, Deum hunc Etruſcis ignotum non fuiſſe. Notandum vero eſt, thoracem illius eſſe penitus Samniticum, quemadmodum catenula ſupra pectus decuſſata, quae ornamenta ſaepiſſime obſervabimus Samniticis militibus adtributa cum galea illi Nationi convenientiſſima.

Sub Hymenaei pedibus cumerum intuemur cum vaſe aquario, de quo alias egimus, cum pomis, ſeu ovis ad luſtrationem perficiendam praeparatis.

Ancilla inferior monile margaritiferum promit ex arca.

TAB. XXXIX. ET XL.
IDEM ARGUMENTUM.

BAlneum Nuptiale hic expreſſum nobilitat Cupido ſupervolans, ac jugum maritale gemmatum, quo conjuges jungat, ſuis manibus defert. Parergon mire explicat Tibullus II. 2. alias citatus:

Flavaque conjugio vincula portet Amor.

Sponſa e balneo egreſſa, circumfuſo ſibi linteo, & jam bene compta ſpeculo vultum examinat, dum Lotrix adhuc nuda ſibi capillos tergit, matronis adſtantibus, niſi Deas appellemus, quarum una pulcherrimam coronam extollit. Fortaſſe hic latet imago Fortunae, quam ſponſae coronabant, exceptis bis Nuptis. Serv. Aeneid. IV. 19.: *Fortunam Muliebrem non coronant bis Nuptae.*

Cum in hoc Picturae latere omnia ſpirent nuptialem pompam, jam nihil dubito, eidem adludi in oppoſito, in qua mulier Draconi placide e trun-

e trunco pendenti efcam libandam porrigit, quo fymbolo nihil obfcurius. Dubitavi primum, an Serpens Genium exprimeret, cui maximus honos deferebatur in Nuptiis, ut infra notabimus. Erat praeterea in Templo Junonis Lanuinae celebre experimentum virginitatis Draco facer, qui fi innoxius libamen e puellae manu deguftaret, jam probata erat pudicitia, & tam magno tefte confirmata. Propertius IV. 8., ubi fabulam hanc, five praeftigium exponit:

Ille fibi admotas a Virgine corripit efcas,
Virginis in palmis ipfa caniftra tremunt.
Si fuerint caftae, redeunt in colla parentum.

An interim haec illufio etiam Etrufcos invaferit, ut beftias hafce examinatrices in adytis haberent, adhuc ignoro, nec enim habeo, unde fufpicionem hanc meam confirmem.

Subiit animo alia dubitatio, an hic exprimatur fabula illa vere digna Jove, qua ferebatur, fefe in Draconem mutaffe, ut Proferpina potiretur, ex quo congreffu omnium foediffimo prodiit Bacchus alter, nomine Zagreus, ut infimulat Nonnus Dionyf. V., & VI. Revera confonat fabulae haec Pictura, in qua expreffa funt opima illa munera, quae Proferpinae a Diis data funt, & praefertim fpeculum ciftae imminens, quod Vulcanus e ferro expolivit. Itaque Poeta, defcripto balneo, ubi Jupiter Proferpinam nudam oppererat, ita profequitur lib. VI. 157.:

Ζεὺς ὅτε πολιέλικτος ἀμοιβομένοιο προσώπου
Νυμφίος ἱμερόεντι δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ,
Εἰς μυχὸν ορφναίοιο διέστιχε παρθενεῶνος.
. . . .
Καὶ γαμίαις γενύεσσι δέμας λιχμάζετο κούρης.
. . . .
αἰθερίων δὲ δρακοντείων ὑμεναίων
Ζαγρέα γειναμένη κερόεν βρέφος.

Jupiter cum multum volutus mutata facie
Sponfus defiderabili Draco circumactus tractu
In penetrale caliginofi pertranfiit virginalis loci.
. . . .
Et nuptialibus genis corpus lambebat puellae.
. . . .

Aete-

Aethereis vero Draconteis Nuptiis
Zagreum gignens cornutum filium

Ceterum Picturam hance indecisam aliis remitto felicius explicandam.

Arbor, e quo Serpens pendet, pomis minoribus refertus est, quae a Matronis carpuntur. Harum una duo ex his manu continet, & tertium divellit. Videndum interim, an tria haec poma referenda sint ad caeremoniam, quam leviter attigimus in nota praecedenti. Haec ego libenter referrem ad nuces, de quibus Serv. in Eclog. VIII.: *Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omne matrimonium celebretur, ut nupta Matrona sit, sicut Juno, nam nuces in tutela sunt Jovis, & Juglandes, quasi Jovis glandes vocantur.* Et Plin. lib. XV. 22.: *Quae caussa nuces nuptui fecit religiosas, tot modis foetu munito.* Hinc Catull.:

Da nuces pueris, iners
Concubine, nuces da.

Quin immo in libo Nuptiali nuces inserebantur, & *Pannucatum* vocabatur, de quo Nonius in *Nubere*. Haec vero liba Diis suspendebantur in connubiis, ut liquet ex hisce Picturis; nec fortasse aberraverim suspicans, ternas nuces in Larariis sepositas.

Diu etiam dubitavi, an hic exprimantur Atlantidum Horti, inque illis

Hesperidum Templi custos, epulasque Draconi
Quae dabat, & sacros servabat in arbore fructus.

Ast cum haec Pictura non tres tantum Nymphas Atlantides Eglem, Arethusam, & Hespertusam nobis obiiciat, sed quinas cum Cupidine, & adparatu sponsalitio, longe aliud ab illa fabula hic expressum esse, reputavi majore cum otio inquirendum.

Est tamen aliquid, quod ex illa fabula in propositum nostrum influat, quod nempe tria illa poma, quae in Larariis saepe collocata videmus, abiisse in mores Etruscorum, tamquam symbolum, & auspicium fortitudinis, exemplo Herculis, qui occiso Hesperidum Angue, tria aurea poma ex arbore sacra adeptus est, sive potius ob tria illa ejusdem stirpis, quae Venus Hippomeni dono dedit, quorum jactu Atalantam cursu superavit, illaque potitus est, ut narrat Ovid. Metam. X. Fab. 2., & Hyginus Fab. 185.: *Hippomenes a Venere tria mala insignis formae acceperat,*

ceperat, qui in ipso certamine jactando puellae impetum alligavit; illa enim dum colligit, & admiratur aurum, declinavit, & juveni victoriam tradidit. Allusio sumpta ex heroico conjugio in Etruscorum Nuptiis, in quibus omnia erant symbolica, facile usurpata est. Sed divinamus in re obscurissima, haud meliora daturi, nisi in progressu lux clarior adfulgeat.

In ima parte Cupido praesto est, tamquam in celebritate Nuptiali, & Cycnum Matris suae infert in pompam. Matronarum, sive Dearum vestes plerumque differunt pro varia conditione, seu potius officio in hac solemnitate obeundo.

CLASSIS IV.

SACRA NUPTIALIA.

TAB. XLI.

CONJUGES SACRIFICANTES.

ADparatum Nuptialem subsequuntur sacrificia, quae pompam illam ex omni parte consecrabant. Et primo ante Deorum aras matrimonia iniri consuevisse, non dubitamus. Lactant. in Statium II. Thebaid.: *Apud antiquos jura Nuptiarum ante Aras Numinum celebrari consuevisse*. Hinc noster Maro Juris Pontificalis consultissimus Didonis Nuptias orditur in Templo, & a sacrificio:

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes;

quin etiam in loco Nuptiarum, ubi convenerant Perseus, & Andromeda, cernebantur Altaria Diis consecrata ad thura adolenda. Ovid. Metam. V. 36.:

Pectora rupisset, nisi post Altaria Phineus
Isset, & (indignum!) scelerato profuit ara.

Sic etiam Altaria constituta describit, ubi Pirithoi, & Deidamiae conjugium celebrabatur. Diis enim communibus, & praesertim Jugalibus honorem tunc potissimum deferre oportebat, cum sponsi jungerentur. Hos autem postremos quinque omnino recenset Plutarch. in Problem.: *Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Leporem, & Dianam*, ideoque quinque cereos Nuptiis accendi morem esse, nec pauciores, nec plures.

Huc

Huc refero Picturam hujus Vasculi inferioris, cui consona maxime est altera splendidior Musei mei, infra Tab. XCVII., in qua vir, & uxor sacra faciunt thura super aram adolentes, Paranympho seorsim posito. Id ipsum argumentum frequentissimum est in meis schedis, ex qua multiplicitate facile colligitur, hujusmodi emblema in Vasculis potoriis Nuptialibus ad ritum pertinuisse.

Poculum superius, in quo viri, & mulieris capita rudiore Minerva depicta sunt, pertinet & ipsum ad Nuptias, ex quo videlicet biberent novi conjuges, cum convenissent.

TAB. XLII. ET XLIII.

GENIA IN NUPTIIS CULTA.

Quamquam in omnibus vitae officiis Genius, in cujus tutela quilibet esse reputabatur, impensissime coleretur (nam ita perperam detorquebatur perennis illa traditio a primis usque temporibus in omnes gentes transfusa de Angelis tutelaribus) potissime vero in Nuptiis honorabatur, non modo ut faustas redderet, sed praesertim quia sobolis concedendae potestatem Genio inesse, reputabant. Orpheus in Hymno Daemonis:

Δαίμονα κικλήσκω μεγαλανηγήτορα, φρικτὸν;
Μειλίχιον Δία, παγγενέτην, βιοδώτορα θνητῶν.

Daemonem voco magnanimum, venerandum,
Mitem Jovem, omnium generatorem, vitae datorem mortalibus.

Quia vero viventibus omnibus adesse credebatur, hinc maribus Genii singulares tribuebantur, Geniae vero feminis, utroque sexu Numen suum superstitiosissime venerante, ut praemisimus in Dissertatione de Genio domestico, & notavit eruditissimus Cerdanus ad Eclog. IV. Virgil. in fine. Quemadmodum vero virorum custodes Genios vocabant, ita peculiari titulo, illas, quae mulieribus praesidebant, Junones nuncupabant. Juven. Sat. II.:

Et per Junonem Dominae jurante ministra;

& Tibul. IV. 13.:

Haec tibi sancta tuae Junonis Numina juro.

Harum imagines vix, aut vix in tota Romana antiquitate depre-

hendes; frequentiſſime vero in Etruſca, cujus nationis artifices occultarum rerum, quae ad Religionem, & myſteria pertinebant, liberaliſſimi exſtiterunt. In hiſce igitur geminis Tabulis mulierum Geniae expreſſae ſunt feſtivo quodam adparatu, ut facile intelligi poſſit, eas Nuptiis intereſſe. In priore enim Tabula una ex his monili margaritifero, & armillis ornata conſpicitur, ſed praeterea coronam Nuptialem virgini ſuae tribuendam praeſefert, haud levi indicio celebritatis.

Inſidet Delphino Nationis Etruſcae ſymbolo, ut notat Cl. Bonarotus ad Dempſterum. Erant praeterea Delphines indicium quoddam purgationum, atque expiationum, quarum unam, Virgilius leviter attingit per ea verba:

aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus,

ad quarum purgationum imaginem poſt mortem ſubeundarum tres aliae in hac vita commentae ſunt, de quibus Servius in eum locum: *Unde etiam in ſacris Liberi omnibus tres ſunt iſtae purgationes, nam aut taeda purgantur, & ſulphure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur.*

In Tabula ſubſequente eadem Genia arae ſuae inſidet, & placentam ſibi oblatam oſtentat, e cujus medio quatuor ramuſculi proſiliunt. In Picturis accuratioribus clare diſcernitur, ſurculos hoſce nihil aliud eſſe, niſi virgulas roris marini, quo potiſſime Dii familiares tamquam frutice domi nato delectabantur. Horat. III. 14. alias citatus:

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Placenta ex veteri inſtituto ex farre componi debebat. Plin. XVIII. 3.: *In ſacris nihil religioſius confarreationis vinculo erat; novaequc Nuptae farreum praeferebant*. Et Dionyſ. Halic. Antiq. Rom. lib. II.: Οἱ παλαιοὶ γάμους, Ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες, Φαῤῥάκια, ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥος. *Priſci legitima, ſacraque matrimonia Romana appellatione Farracia dixerunt a communione farris.*

Forma poculi heroica eſt, nam heroicis temporibus cornibus pro poculis utebantur, ut colligitur ex antiquo Homeri Scholiaſte: *Ante inventum poculorum uſum ex cornu bibebant*. Hujuſmodi ſaepe invenire datum eſt in ſepulcris Etruſcorum, quibus haec forma ob antiquitatem maxime probata fuit. De his videnda, quae diximus in noſtro Acherontico,

frontico, ubi Tab. VIII. ex noſtro, & aliis Muſeis hujuſcemodi poculorum imagines retulimus. Deſinunt plerumque in formam animalium Diis ſacrorum, ut id praeſens, ac ſubſequens in Arietis, & Capri cervicem deſinens oſtendit, ex qua imagine recte explicatur locus Juvenalis Sat. I. 76.:

Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum,

& Martial. VIII. 51.:

Stat caper in phiala Thebani vellere Phrixi
Cultus.

TAB. XLIV. ET XLV.
GENIUS IN CORNU POTORIO.

UT Geniae, ſeu Junones a feminis cultae ſunt, ubi Nuptialia ſacra advenirent, ita Genii a viris honorabantur, de quo argumento multa infra tradenda ſunt.

Genius hic implumis eſt, veluti coſtanter domi conſiſtens. Coronatus incedit, veluti feſtivus. Tibul. I. 8.:

Illius, & nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite, & collo mollia ſerta gerat.

Situlam vini, quo libentiſſime fruebatur, pompae introducit Horat. III. 17.:

Cras Genium mero
Curabis, & porco bimeſtri,

& Tibul. loco citato:

Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero,

& II. 2.:

Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Lancem pomis onuſtum, ſeu ovis ad luſtrationem perficiendam ſuſtinet dextera, ut in omnibus fere Picturis Nuptialibus, in quibus id ſymbolum ſemper intervenit.

Guttus Tabulae ſuperadditus ex iis eſt, quibus loco paterae utebantur Etruſci in inferiis, aut ſacris, quae ruri forent celebranda ad vinum transferendum, ſimulque effundendum, ut caeremonia expeditius abſolveretur. Multa hujuſcemodi apud me habeo; plerumque e ſepul-

cris defossa. Haec vero Vascula multis modis ornabant, & praecipue ferarum rictibus, non sine significatione tutelae Deorum, quibus belvae sacrae essent.

Tab. XLVI.

GENII FASCIAS DEFERENTES.

Genii hic expressi pro vario officio & volucres, & implumes geminas fascias utraque manu ventilant; cum enim sponsi coronari solerent, par erat, ut geminae vittae ad id officium disponerentur. Claud. de Nupt. Honorii pluries citatus:

Tu festas, Hymenaee, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas,

& Homer. alias citatus Iliad. XXII. ver. 470.:

Κρήδεμνόν θ᾽, ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσέη Ἀφροδίτη
Ἤματι τῷ ὅτε μιν κορυθαίολος ἠγάγεθ᾽ Ἕκτωρ.

Coronamque, quam & dedit aurea Venus
Die illo, quando ipsam cristatus duxit Hector.

Et revera a Diis tribui has vittas in Nuptiis, reputabant, ita ut si male cessissent, eo referebant, quod Deus abfuisset; Sic etenim deserta Arethusa conqueritur apud Propert. IV. 3.:

nec recta capillis
Vitta data est; Nupsi, non comitante Deo.

Tab. XLVII.

SACRUM FORTUNAE MULIEBRI.

Sponsa sedens in linea inferiore speculum substinens vota concipit de more sedens, quo corporis statu Deos precabantur, & auguria captabant, ut alibi saepe veterum Scriptorum testimonio probatum est.

Adsistunt duo ex domesticis Diis Genius alatus, & Lar familiaris hastae innixus, uterque accitus, ut sponsae vota ad Numen superioris ordinis patrocinio commendet, nam Genius scalam extollit nusquam sibi convenientem, sed uni tantum Fortunae, ut alibi dictum est, cui propterea sponsae vota videtur committere.

Genius

Genius iste omnino muliebriter cultus est cum reticulo, & mitra radiata, nam mulieris negocium gerit. Eumdem femineum cultum Genio saepissime adtributum spectabimus, nam Etrusci communiter filiis suis adolescentibus mollem hunc ornatum indulgebant, qui luxus transiit etiam ad Romanos. Audiamus Ciceronem pro Rabir: *Deliciarum caussa, & voluptatis non modo Cives Romani, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos non in hortis, aut suburbanis locis, sed Neapoli celeberrimo oppido cum mitella saepe videmus*. Hanc licentiam taxat etiam Juvenalis in Adolescentibus capillatis Sat. II.:

Vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Lar coronatus circulum substinet, ex quo pendent teniae, pomis superpositis, de quibus saepe dictum est. Planta cynarae Lari gratissima, veluti domi educata ante ejus pedes luxuriatur. Diis enim domesticis ea aptius dedicabantur, quae ex hortulis prodibant; quapropter & alliorum, & papaverum capitibus, & rore marino delectabantur.

In linea superiore eadem sponsa ornatissimo cultu spectabilis sedet gemmatam coronam substinens, quae Fortunae Virginali, ut saepe dictum est, erat reservata. Dextera manu adtollit vannum vittis undantibus circumquaque ornatum, qui praeferri solebat in pompa Nuptiali, ut post Plutarchum notavit Pignorius ad Cartarium, eratque symbolum, atque omen non solum abundantiae, qua de caussa pueros, statim ac nati essent, illos in vanno statuebant, sed erat praeterea signum communionis, ut supra de farre dictum fuit.

TAB. XLVIII.

SACRUM GENIO.

ADolescens nudus, & coronatus saxo insidens mihi Genium repraesentat, qui coronam baccis refertam Fortunae resignandam adtollit, & lancem cum tribus pomis, de quibus aliqua adnotavimus supra ad Tab. XXXVII. Gemini orbes circulo inclusi e pariete pendentes specula esse reor, quae Deabus dedicabantur, ut alibi innuimus.

Supereſt

Supereſt difficultas circa cucullum, ſive conum, in quem converſus reſpicit Genius. Alterum huic ſimilem, ſed forinſecus reticulatum videre eſt ſupra in Tab. XXXI. Cucullum thuris eſſe puto, ex quo alterum quid ſimile conſpicuum cernitur in vertice altaris, ut ſuo loco exponemus, nam diebus ſolemnioribus adfluentius thura cremabantur, unde illud Virg. V. 845.:

plena Divos veneratur acerra,

& colligitur ex Ovidio de Pont. IV. 8.: aliquando plena lance thura fuiſſe miniſtrata:

Nec quae de parva pauper Diis libat acerra
Thura minus grandi, quam data lance valent,

& Horat. Carm. III. 8.:

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, poſituſque carbo in
Ceſpite vivo.

Solebant enim thura in chartaceo cucullo ad ſacrificium deferre, illoque ſoluto, grana univerſa in igne diffundere. Juvenal. Satyr. XIII. 115.:

aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus.

Niſi arrideat haec explicatio, ſit Genus ſpeculi ad radios ſolis colligendos, ignemque exſcitandum, de quo Plinius lib. III. cap. 107., In re enim dubia nil certi affirmo.

Caput mulieris inferne depictum, quod ego referre puto iconicam imaginem matronae, in cujus gratiam Vas iſtud concinnatum eſt, formam reticuli expreſſiſſime refert cum univerſis parergis, & mitella, quibus nobilitari ſolebat. Hunc cultum exquiſitiorem adſumebant mulieres Etruſcae, cum ſacris operam darent, quemadmodum poſtea conſueverunt mulieres Romanae, & praeſertim virgines, quae virum exſpectabant, ut de Sulpitia Cerintho amoribus obſtricta teſtatur Tibullus IV. 6.:

Natalis Juno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe lactiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.
Illa quidem ornandi cauſſas tibi, Diva, relegat,
Eſt tamen occulte, cui placuiſſe velit.

TAB.

Tab. XLIX.

MULIER GENIO SACRIFICANS.

Sponſa praeter communem uſum tunica, & exomide margaritis referta in domeſtico foco ſacrum Genio offert, & aperta manu ſuper focum thus adolet, videturque proferre cum Sulpitia ſuperius memorata:

Magne Geni, cape thura libens, votiſque faveto,

Genius praeſto eſt, oblatamque ſibi placentam oſtentat, qua maxime alliciebatur. Tibull. II. 2. alias citatus:

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Mulieris tunica, ſimul atque exomis inſolito more gemina margaritarum linea nobilitantur.

In adverſa parte ſedet Dea dexteram ad aliquid accipiendum producens. Fortaſſe Virginenſem exprimit, cui nummus ex tribus dotalibus, ut praemiſimus, offerebatur.

Poſt Deam ſurgit ad inſtar columellae intortae, neſcio quid oblongum, cujus ſignificationem minime aſſequor. Fortaſſe negligentius expreſſum eſt volumen aliquod laneum, ſive una ex diffuſioribus vittis, quae in janua appendebantur, ſeu potius togula virginalis complicata, de qua Arnobius alias citatus lib. II.: *Puellarum togulas Fortunam defertis ad Virginalem.*

Tab. L.

LAR ARMATUS SPONSAE OCCURRENS.

In Juvene armato nec Pallada, nec Martem agnoſco, quorum ſtudia longe a Nuptiis differebant. Potiſſimum vero congruebant Laribus publicis, & privatis urbium, ac familiarum conſervatoribus, quorum maxima ratio habita eſt in ſolemnibus connubiorum, quibus ſaepiſſime intermixti conſpiciuntur. Hos vero Etruſci ſaepiſſime armatos effingebant, ex quo precipue illorum ope dira illa Italiae pernicies Hannibal depulſus eſt, Laribus, ut putabant, opitulantibus.

Hic igitur armis inſtructus occurrit Matronae invocanti pateram porrigens ad libamina ſuſcipienda, quae ſibi offeruntur, non vero, ut alibi,

alibi, ad ſacrum offerendum, quod viro galeato facere licuiſſet, ſi tantum funebria ſacrificia excipiamus.

Et revera Aeneas, ubicumque ſacra tractaret, coronam capiti imponebat:

Sic fatus velat materna tempora myrto.
Ipſe caput tonſae foliis evinctus olivae
Stans procul in prora pateram tenet.

CLASSIS V.

LECTUS GENIALIS.

TAB. LI. LII. ET LIII.

IN pulcherrimo hoc Vaſe, quod Bononiae adſervatur in lectiſſimo Muſeo Viri Cl., mihique devinctiſſimi Johannis Dominici Doct. Catanei, adumbratur caeremonia Etruſcis, aeque ac Romanis ſolemniſſima dedicationis Lecti Genialis, ſive Nuptialis, quam ſub eodem fere adſpectu obſervabimus infra ſaepius repetitam. Modus, quo illa exprimi ſolebat ab Etruſcis, compendioſe quidem, & ſubobſcure, non alter erat, quam ſedes amplior, ſuper qua diſpoſita erat *Toga Recta*, cui nudus inſidet Genius Zonam virginalem plerumque ſtringens; Genius enim, ut ait Feſtus, habebatur *Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur*. Hinc introductum eſt, ut in Nuptiis ſterneretur Lectus in honorem Genii, ut ſubdit idem Servius, & religione quadam a Genio ipſo ſervabatur; unde Juvenalis:

& ſacri Genium contemnere fulcri;

in quo Toga Recta, ſive Regilla ſternebatur; Id colligitur ex Arnobio lib. II.: *Cum in matrimonia convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis*; cujus auctoritati alteram jungimus Feſti: *Tunicis albis, & reticulis luteis utriſque actis textis ſurſum verſum a ſtantibus pridie Nuptiarum diem virgines indutae cubitum ibant ominis cauſſa*.

Praecedit in primo Vaſis adſpectu protomes ſponſae ornatiſſime reticulo gemmato redimitae, & ſenis crinibus, quibus ſponſae comebantur, de quibus Iſidorus, & Feſtus alibi adducti; fluitantibus hinc inde per

collum redimiculis ejufdem reticuli, de quibus fuo loco. Collum mulieris ornat amplior fafcia, a qua pendet fupra mamillas ad inftar bullae gemma omnium ampliffima. Exemplum hujufmodi luxus recenfet Paullus I. C. in *l.* 32. §. 9. *ff. de auro, argento &c.*: *Legavit quaedam ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympanis margaritis triginta quatuor*; quae omnia collo fufpenfa veluti imbrem gemmeum in pectus efformabant. Aurea etiam fcutula e collo pendentia deferebant Etrufcae mulieres, ut ex figillis, & pateris liquido adparet. Hinc Juvenalis Satyr. VI. *auratis mamillis* Meffalinae fuccenfet.

In parte adverfa ejufdem vafis eadem fponfa veftitu pene domeftico, ftola depofita, lancem Genio mariti offert fub Larario, quod pone caput mulieris apertum cernitur. Sub Larario octo clavorum parieti infixorum capita confpicua funt, quibus numerus animarum, quae in familia effent, defignabatur, ut colligitur ex Petronio circa finem:

At paries circa palea fatiatus inani,
Fortuitoque luto clavis numerabat agreftes.

Nec mirum, nam par erat, ut quifque ex familia apud Deos domefticos clavum haberet, cui coronas appenderet difcreta devotione, ne obfequium inter oblatores confunderetur.

Genius nudus infidet Lecto Nuptiali non aliger, neque velatus, fed qualem decebat effe in officio; Lectus vero ftratus eft toga recta, de qua fupra mentionem fecimus.

Lectulos Etrufcorum defcripfimus in Differtatione de illorum funere non parieti adhaerentes, fed circumquaque pervios ad differentiam Romanorum, qui fecus murum locabantur.

Apud Campanos quoque, qui mordicus Etrufcorum inftituta confervarunt, diu ftetit hic mos conftituendi Lectos in medio cubiculo. Teftem adlego antiquum marmor, quod nuper in lucem protulit, atque inluftravit vir longe doctiffimus Jacobus Martorellius in Academia Neapolitana Regius Graecarum Litterarum Profeffor in celeberrima, atque omnigena eruditione refertiffima tractatione de *Theca Calamaria* lib. I. cap. 6. num. 14. In hoc anaglypho aegrotus fedet in Lecto, circumftantibus circa, & poft Lectum Domefticis, & Medico infra fcribente quae medicamenta languenti opportune propinentur.

Puto tamen, etiam Romanos Lectum Genialem in medio cubiculo

lo constituisse ob antiquitatis, & Religionis reverentiam. Catul. LXII. 46.:

Pulvinar vero, Dive, Geniale locatur
Sedibus in mediis;

dicebaturque *Adversus*, quia in medio atrio contra januam erigebatur. Horat. Epist. I. 1.

Lectus Genialis in aula est.

Ex alto pendet de more a duobus claviculis jugum maritale, de quo Cartarius de Deor. imag.: *Habuit Juno in Vico Jugario aram, ad quam novi sponsi procedebant, & a Sacerdote quibusdam nodis simul ligabantur, innuentes, ita eorum animos esse debere*. Hinc Juno dicta Jugalis, invocatusque Deus Jugatinus, *cum mas, & femina conjungebantur*, ut ait Div. August. de Civ. Dei VI. 9. Hinc Virg. Aeneid. IV.:

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,

& rursus:

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curae;

& Statius:

dat Juno verenda
Vincula.

Suspendebantur vero hujusmodi vittae prope domesticos Deos e duobus clavis, de quibus supra, veluti e collo duorum conjugum, quorum animos sub hac imagine perpetuo devinctos esse oportebat.

Post tergum mulieris humi defixus est rudis palus, quem ego superstitem esse puto ex taeda Nuptiali, quae ex spina alba constare debebat. Catul. LXI. 14. alias citatus:

Spineam quate taedam;

cujus residuum, veluti testimonium auspicatissimarum Nuptiarum apud Lares servatum fuisse, conjicio. Maximam profecto Religionem inesse spinae albae, putabant veteres, & praesertim ad propulsanda maleficia, quae infantibus striges inferebant. Ovid. Fast. VI. 2. v. 29.:

Sic fatus spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, (haec erat alba) dedit;

& paulo infra v. 65.:

Virgaque janalis de spina sumitur alba,
. . . .
Post illud nec aves cunas violasse, feruntur.

Et

Et revera etiam quamdam religionem inesse putabant antiqui ambustis torribus, qui ex sacris caeremoniis superstites essent. Id suboleo ex mutilo quodam fragmento Varronis apud Nonium in Titionem: *Contra novo marito, cum item e foco in Titione ex felici arbore*......... Torrem praeterea ardentem ex ara detractum, & aquae immersum lustralem aquam ministrasse ad purgationem, constat ex Atheneo IX. 18.: Ἐστι δὲ (χέρνιψ) ὕδωρ εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες ἐφ᾽ οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν, καὶ τοῦτο περιραίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον.: *Est autem (Chernips) aqua, in quam titionem ex ara sumptum tingebant, & quam ad perficiendum sacrum adhibebant, & illa consperfos purificabant eos, qui adessent*; & Euripides in Herc. Fur. ver. 928.:

Μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν
Εἰς χέρνιβ᾽ ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης τόκος.

Cum autem torrem manu dextera laturus esset
Filius Alcmenae, ut intingeret in aquam lustralem.

Titionem quoque ex foco subripuit Althea, cum Meleagrum peperisset, quod pignus vitae Nati futurum erat, ut Atropos praedixerat, cum fata illius Parcae cecinissent, ut ait Hygin. Fab. 171, & Ovidius Metam. VIII.

Confirmat praecedentem nostram circa id argumentum conjecturam emblema haud multum dissimile, quod intuemur in Tab. LIII.; hinc enim colligitur, quod Juvenis ille nudus super togam sedens unus ex Diis sit; nam in postremo hoc Vase ara contra ipsum constituta cernitur. Ad hanc accedit mulier sacrificium oblatura flabellum faciei anteponens, animi obsequium, & reverentiam ante praesens Numen ostendens, ut alibi passim.

Crucicula post tergum mulieris expressa nihil aliud praesefert, quam loculum illum in pariete exscisum modo oblongum, aliquando quadratum, saepissime rotundum, in quo Lares domestici custodiebantur. Ex hujusmodi varietate clarum fit, figuram familiaris sacrarii arbitrariam fuisse, nec legibus ullis praescriptam.

Tab. LIV. LV. et LVI.

RITUS COEMPTIONIS.

De hoc ritu aliqua praemisimus in notis ad antiquas Lucernas Tomo I. 38., ubi unam praesertim inlustravimus, in qua Hymenaeus expressus est, praefixo post ejus caput nummo cum Jano bifronte, eamque imaginem pertinere putavimus ad caeremoniam, de qua Varro apud Nonium in *Nubentes*: *Veteri Romanorum lege mulieres tres ad virum asses ferre solebant, atque unum quidem, quem in manu tenebant, tamquam emendi caussa marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere; tertium in sacciperio cum condidissent, solebant resignare*.

Ritum hunc, sed allegorice, ut fere semper, nobis obiicit haec Pictura, in qua nova nupta seminuda una cum pronuba, seu ornatrice, veluti e balneo egressa, nummum resignat non marito, sed Genio mariti, qui benigne, & comiter non modo nummum, sed etiam sponsam videtur excipere, & familiae, cui ipse praeest, aggregare. Huic coemptioni allusisse videtur Virg. Georg. I.:

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis,

quem locum ita exposuit Servius: *Quod ait, emat, ad antiquum pertinet Nuptiarum ritum; quo se maritus, & uxor invicem coemebant*.

Parum distat a praecedenti Pictura Tab. LV., in qua nova nupta manu aliquid profert Genio, quod Pictorem minus cautum effugit.

In opposito latere eadem sponsa de more sedens prope aram sub Larario cum lance, & placenta sacrum offert. Haec liba melle commixta Genio offerri solebant. Tibul. I. 8. 48.:

Si venias hodierne tibi dem thuris honores,
Liba, & Mopsopio dulcia melle feram.

& II. 2. 5., cujus loci nonnulla saepius usurpavimus:

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Caeremoniam hanc manifestissima expressione exhibet Pictura Tabulae LVI., in qua principium, & finis ejusdem actionis delineatum est.

In

In antica nova nupta ſtolata ſtans nummum offert Deo nondum conſpicuo. In poſtica vero eadem ſedens, hoc eſt adorans, & vota concipiens pateram ſtringens Larem domeſticum, ut annuat, praeſtolatur. Ille exſcitatus munere accurrit, ſtrictamque dexteram manum extollens, munus acceptaſſe demonſtrat. Verum ne deſit loculus, in quem Deus iſte vectigal connubiale reponat, Pictor cautiſſimus ad ejus pedes ciſtellam adjecit, repoſitorium opum ſuarum; Credibile enim eſt, in privatis Larariis praeter Deorum ſimulacra, & adparatum ſacrificialem exſtitiſſe etiam ſportulas decentiſſime ornatas, in quibus id peculium Deorum cuſtodiretur. Ceterum decreſcente ſenſim pondere aſſium, & de una in aliam aetatem ipſo auctoritate publica diminuto, ſatis credibile duxi, aſſes iſtos, ut ita dixerim, pompaticos, ita conflatos fuiſſe, ut primaevum pondus librale continerent, ne calamitates Reipublicae, quae enormiſſimam diminutionem in aſſe introduxerant, Diis obeſſent, & veterem formulam labefactarent. De hoc fuſe egimus in tractatione *De Re Nummaria Etruſcorum*.

Lar domeſticus plerumque togatus in hiſce Picturis nobis occurrit. Ejus auctoritas cum non egrederetur familiam, alia arma non tractat praeter nodoſum fuſtem ad privatam vim repellendam, & fures coercendos. Hoc plerumque ſymbolo munitus adparet.

CLASSIS VI.

NATALITIA.

TAB. LVII.

SACRUM NATALITIUM.

D*Icamus bona verba, venit Natalis, ad aras*
Quiſquis ades lingua, vir, mulierque, fave.

Tibul. II. 2. Sub nomine vero Natalis non dies tantum intelligebatur, ſed Numen quoddam, quod Natalibus praeeſſet. Ad hujuſmodi officium Dea *Naſcio*, ſive *Natio* commenta eſt, de qua Cicero de Nat. Deor. III. 19.: *Quod ſi tales Dii ſint, ut rebus humanis interſint, Natio quoque Dea putanda eſt; cui, cum fana circuimus in agro Ardeatino, rem divinam facere ſolemus; quae quia partus matronarum tueatur a naſcentibus*

bus Natio nominata eſt. Hanc eſſe puto, Deam illam nudam, quae ornata reticulo, & diffuſis margaritarum lineis per corpus ambientibus matronae vota ſolventi adparet. Altera manu monile gemmatum ſubſtinet, alia vero veluti pomum ignotae ſignificationis, & ſiniſtro pede premit fruticem vitis ob pueri memoriam recenter conſitae. Siniſtro, inquam, nam in auguriis ea caeli pars, & auſpicia inde capta fauſta, & laeta habebantur.

Sedet in ſuggeſtu materfamilias orantum more, ac intra ſtolam contenta, e qua manum dexteram apertam tantum producit, Nummum oſtendens, quem in Natalibus Ilithyae offerre ſolebant, ut refert Dionyſ. Halic. Antiq. Rom. lib. IV: Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος. ἐν τῃ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγράφει ἱςορίᾳ, βουλόμενος καὶ τῶν ἐν ἄςει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν, ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάςου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθύας θησαυρὸν, ὃν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων. εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος, ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν. *Tradit L. Piſo Annalium I. voluiſſe eum* (Regem Servium) *& urbanae multitudinis ſcire numerum, tum naſcentium, tum morientium, tum eorum, qui virilem togam ſumerent, ſtatuiſſe, quanti pretii nummos pro ſingulis inferre deberent cognati; in aerarium Ilithyae (Romani Junonem Lucinam vocant) pro naſcentibus; in aerarium Veneris in luco poſitum, quam Libitinam appellant, pro defunctis; in Juventutis, pro togam virilem ſumentibus.*

Matrona ſedet non in ſcamno, ſeu cathedra, ſed ſuper aram, ſive ſuper arcam, in qua ſacra continebantur. Id ne inſolitum apud Etruſcos videatur, monent frequentia in Urnis Etruſcorum exempla, in quibus milites vel pede, vel genu aris inſiſtentes dimicant, praeterea gemmae Graecorum, in quibus Diomedes ſedens in altare Palladium propugnat; & ne Thuſcos deſeramus, teſtimonia in his Picturis frequentia, in quibus mulieres ſacrificantes ſuper arculas ſacrorum ſedentes expreſſae ſunt.

TAB.

TAB. LVIII. ET LIX.

SOLEMNE NATALITIUM.

OMnia in hac Pictura ſpirant Natalium laetitiam, ac religionem ſublimiter de more expreſſam, atque cum maxima dignitate, quippe quia Deorum miniſterio more Etruſcorum omnia peraguntur. Muſicam, & choreas in hiſce pompis interveniſſe, frequenti Scriptorum teſtimonio certificamur. Propert. III. 8.:

Tibia nocturnis ſuccumbat rauca choreis;

& Tibul. I. 8. alias citatus:

Huc ades, & centum Ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Prima Dearum in linea ſuperiore magnifico cultu ſtolata cunam pueri cuſtodit. Fortaſſe haec Dea *Cunina* eſt, *quae infantes in cunis cuſtodit, ac faſcinum ſummovet*, ut ait Lactantius de Falſ. Rel. I. 20., & de qua D. Auguſt. de Civ. Dei IV. 8.: *Cunina, quae cunas eorum adminiſtrat*, quam etiam memorat infra cap. XXI.

Evolat e cuna Deus *Natalis* cum cithara, quem modo feminam effinxerunt, ut ſupra diximus, aliquando etiam marem. Tibul. IV. 5.:

At tu, Natalis, quoniam Deus omnia ſentis,
Annue.

Tres e Muſis carmen concinunt. Una ſuſpenſam ex humero citharam pulſat; alia tibias inflat. Media ſellae poſtergali innixa carmen aliquod pangere inſimulat. Seminuda eſt, & ferulam hiſtrionibus uſitatam oſtendit, fortaſſe ipſa Thalia.

Primas agit in hac linea Natalis Juno, regali cultu inſignita, ſedens coronata, & ſceptrum ſtringens; contra quam Divinitatis ſuae ſignum pendet corona votiva. Quin etiam corona ſuſpendebatur prae foribus, ubi puerpera eſſet, ut de Athenienſibus notat Meurſius. Hinc domus puerperarum στεφανηφόρος appellari ſolebat, ut inde ſuſpicemur, coronam hanc hic expreſſam, more a Graecis mutuato, eſſe indicium puerperii. Junonem Natalis titulum nactam fuiſſe, nemo ignorat, & omnium loco teſtatur Tibullus I. 3.:

Natalis Juno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Ejus

Ejus capillitium ſolutum difluit per terga. Hoc eodem cultu ſaepe ornata adparet in ſigillis. Haec enim erat formula mulierum vota concipientium. Ovid. Faſt. IV.

Submiſſoque genu vultus in imaginae Divae
Figit, & hos edit, crine jacente, ſonos;

& Tibul. I. 3.:

Biſque dies reſoluta comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

In concipiendis enim, & ſolvendis votis nihil ligatum eſſe judicabant Ethnici, ut illa veſtium, & capillorum libertas mentis ſtatum denotaret, ſponte in Deos ſeſe elevantis. Qua vero forma ſupplices ad Deos accederent, quae quia auguſtiſſima videretur, ſub eadem prorſus Deos exprimebant, ut cum domeſticas Lucernas explicaremus, demonſtravimus libro I. Hactenus prima Picturae linea.

In ſecunda conſpicuus eſt lectulus pompaticus in formam ſellae concinnatus, quem Picumno, & Pilumno in atrio ſternebant. Nonius XII. 36. ex Varrone: *Natus, ſi erat vitalis, ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe; ac Diis conjugalibus Pilumno, & Picumno in aedibus lectus ſternebatur*. Et Serv. Aeneid. X. 76.: *Varro Pilumnum, & Picumnum infantium Deos eſſe, ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſternebatur*.

Cuſtodiunt lectulum hunc duo ex Deabus puerperarum Mena, Partunda, Latona, Egeria, Lucina, Proſa, Poſtverta, aut aliae ex iis, quas deridet Tertullianus libro de Anima, & D. Auguſtinus loco citato, quarum tamen notas cum ignoremus, & vix nomine agnoſcamus, miſſas libenter facimus. Veſtae tamen omnium familiarum cuſtodi, & quae in ſingulis aedibus religioſiſſime colebatur, unam ex hiſce imaginibus adtribuerem, veluti quae pro puero vigilet, & Larundam exſcitet ad inſidias depellendas; Magnae enim imminent a Silvano malae mentis Deo, & infantibus infenſiſſimo.

Quid ni? accurrit alia ex Muſis, ſive Dea aliqua citharam pulſans, nam per muſicam maleficia diſſolvi, triſteſque Deos miteſcere reputabant, quae imperioſe jubet Pilumno, & Picumno armatis, ut Silvanum ingredi impediant. Div. Auguſt. citatus lib. VI. cap. 9.: *Mulieri foetae poſt partum tres Deos cuſtodes memorant, ne Silvanus Deus*

per

per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque custodum significandorum caussa tres homines noctu circumiri limina domus, & primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis, ut, his datis culturae signis, Deus Silvanus prohibeatur intrare. Hanc caeremoniam trium hominum, qui totidem Deorum officium usurparent, expressam videmus in hac Pictura. Duos jam contemplati sumus nobiliter delineatos sub specie Larium publicorum, ut dignitas Picturae augeretur, tertium infra videbimus, & ipsum officio addictum sub imagine Laris vialis.

Quid vero significarent tres isti homines, qui fabulam hanc agebant, pene dixerim larvati, explicat inde D. Augustinus: *Ab his autem rebus tres nuncupatos Deos, Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis, quibus Diis custodibus contra vim Dei Silvani foeta conservaretur*. Fabula igitur trium hominum tres Deos significabat, marem unum, feminas duas, quorum omnium concilium arctissime junctum, atque hic adjectum ad explicandam trium virorum imaginem intuemur in tertia linea.

Ultimum trium virorum, ut praemisimus, sub imagine Laris vialis pallio armatus pro clypeo, & qui, ut verbis utar Varronis de Lingua lat. lib. IV., *Chlamyde clupeat brachium*, gemino spiculo e limine depellit Deam Paventiam, spectrum alterum puerulis infestum, de qua idem D. Aug. IV. 11.: *De pavore infantium Paventia nuncupatur*. Binas hastas tractat more antiquorum Virg. Aeneid. I. 31.:

ipse uno graditur comitatus Achate
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

& Aeneid. VIII.:

pars spicula gestat
Bina manu.

Ceterum invaluisse apud Etruscos adhuc rerum rudes opinionem hujusce terriculamenti infantibus noxii, minime miror, cum adhuc apud Hebraeos vigeat timor cujusdam Strigis *Lilith* appellatae, cujus maleficia ut expellant, inscribere solent in cubiculis puerperarum *Lilith foras*, circa quod videndus Kirkerius.

Tab. LX.

SACRUM DOMESTICUM.

PRaecedit Matrona ad Aram accedens, Genius, ſive Deus Natalis obſequiis provocatus ſubſequitur coronam lemniſcatam, gemmatamque cum vini ſitula gerens, nihil enim Deo illi acceptius erat vino, ut ſupra demonſtravimus. Putamus vero agi de Sacrificio Natalitio, nam mulier, adveniente Deo, reverentiae cauſſa oculis obiicit vannum, in quo pueri, ſtatim ac nati eſſent, excipiebantur, de quo infra agendum erit. Parietem undequaque ornant praeter faſciam puerilem flores, & placentula umbilicata adfixa ſub Larario, utque utar verbis Horatii:

cunčta renidet Domus.

Larario patefacto, quod ſolemnibus tantum diebus licebat, caput inde exerit Dea, fortaſſe Juno Jugalis, ſeu Natalis, cui ob Nuptias, & puerperium ſacra fieri ſolebant, quam etiam Lucinam appellabant, de qua Tibullus IV. 6. alias citatus. Haec diſciplina pingendi Deos caput producentes e Larariis familiariſſima fuit apud Etruſcos, nam inter ceteras vanitates firmiſſime reputabant, Deos nidore thuris, & victimarum adlectos Sacrificiis intereſſe reali illorum praeſentia, eoque proceſſit error mentis, cum praecipue vino caluiſſent, ut Deos videre ſibi figurarent, ut manifeſtiſſimis teſtimoniis de hac inluſione diſſeremus, ubi de ſacris Bacchi agendum erit. Hinc in omnibus fere ſacrificiorum Hymnis addebatur precatio, ut praeſentibus caeremoniis intereſſent. Unicum de Hercule habemus apud Scriptores Latinos, quem Virgilius elegantiſſime expolitum inſeruit lib. VIII.:

Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis,
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo. . . . .

Ritus iſte a Graecis Hymnographis deſumptus eſt, qui in fine cantici adventum Dei ſemper ſibi augurabantur, ut patet ex omnibus fere Hymnis Orphei, ex quibus duos tantum ſelegi, primum in Herculem:

Ἐλθὲ μάκαρ, νούσων θελκτήρια πάντα κομίζων.

Veni felix morborum levamina omnia ferens,

alterum in Junonem:

Ἀλλὰ μάκαιρα θεὰ πολυώνυμε παμβασίλεια

Ἔλθοις

Ἔλθοις εὐμενέουσα καλῷ γήθοντι προσώπῳ.

Sed beata Dea celebris, omnium regina,
Venias benevola, pulchra, laeta facie.

Hunc imitatus eſt Tibullus loco citato, ubi Junonem Natalem adloquitur:

Annue, purpureaque veni perlucida palla,
Ter tibi ſit libo, ter, Dea caſta, mero.

Globuli intra cavitatem Lararii collocati offulas fortaſſe indicant Deae oblatas, ſeu potius capita clavorum, quibus impagines valvae firmatae ſunt.

Tab. LXI.

GENIUS MULIERI PRECANTI OCCURRENS.

Mulieri ſacra paranti Genius manifeſtus adparet, & diſcum ovis plenum ad purgationem, & luſtrationem perficiendam offert. Illa coronam lemniſcatam, & ciſtam, ſeu cunam puerilem pomis ornatam ſubſtinet, faſcia puerili parieti defixa ſub ejus cubito, aliaque gemmis ornata e clavo pendente. Virga populea humi defixa ſurgit in conſpectu Genii, in cujus honorem conſeri ſolebat, cum puer natus eſſet, ut alibi oſtendimus.

Genius muliebri reticulo ornatus eſt, & lineis margaritiferis circa collum, & pectus, & dexterum genu. Praeterea incedit ſiniſtro pede penitus libero, dextero vero caligato. Hic ritus pertinet ad ſacra quaedam ſecretiora, quemadmodum Aeneid. IV. 518. deſcribitur Dido ſacrificium parans:

Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta.

& Medea apud Ovid. Metam. VII. 182.:

Egreditur tectis veſtes induta recinctas,
Nuda pedem,

eademque apud Senecam in Tragoedia ſui nominis IV. 2.:

Seereta nudo nemora luſtravi pede.

Quin & Mercurium unico pede calceatum proceſſiſſe ad interficiendam Meduſam, refert Artemidorus IV. 65., & Pindarus Pyth. IV. Jaſonem deſcribit habentem πέδιλον δεξιτέρῳ μόνον ἀμφὶ ποδί. *Calceum dexte-*

rum tantummodo circa pedem. At fortaſſe in adductis exemplis formula haec ad magica ſacra pertinebat, quae profecto aliena ſunt ab hac noſtra Pictura. Quin potius boni ominis cauſſa id fuiſſe introductum puto, ut pueri, qui vitae curſum inchoarent, *dextero pede* proficiſcerentur, ſeu potius augurantes, ut Dii praeſides *dextero pede* ad puerum accederent, juxta illud Virgilianum de Hercule, & Juvenal. Sat. X. 5.:

quid jam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat, votique peracti.

Ceterum id geſtamen non in hac tantum Pictura, ſed ſaepe in aliis obſervabis, ex quo colligitur formulam hance ſolemnem exſtitiſſe, neque, ut quidam putarunt, Pictori arbitrariam.

TAB. LXII.

MATER GENIO SACRIFICANS.

LArario ſemiadaperto in Pictura ſuperiore materfamilias ſpeculum gemmatum adtollens, & uvae racemum ſubſtinens Genium in conſpectu ſtantem veneratur. Poſt illius terga pendet e clavo faſcia puerilis.

Genius alatus in eam converſus ingentem placentam adtollit, & uvae racemum, munus ſibi gratiſſimum. Placentae imminet orbiculus, quem ego alicujus clavi muro infixi caput eſſe reor, quo placentae ſuſpenderentur, quae ut plurimum erant perforatae. Id praecipue liquet ex hac Pictura, in qua Mater, & Genius inſident ſupra ſtruem trium placentarum, quarum quaelibet perforata conſpicitur. Numerus ternarius ſolemnis erat in hiſce caeremoniis. Tibul. loco citato:

Ter tibi ſit libo, ter, Dea caſta, mero.

Ante pedes Genii ſurgit Virga populea in memoriam pueri conſita, & tutelae Genii commiſſa.

Unum hic notatu dignum occurrit, Etruſcos noſtros minime indignum reputaſſe, ut ſacrificantes, auguria captantes, & vota concipientes modo ſupra Altaria ſederent, quandoque ſupra arculas, in quibus ſacra cuſtodirentur, demum uti in praeſenti exemplari, & alibi etiam, ſupra ſtruem placentarum, ut quod aliis Nationibus injuriae imputatum eſ-

esset, isti contra ex occultis, nobisque ignotis rationibus religiosum putarent.

In infima linea mater sedens super aram lancem adtollit cum uvae racemo, & Diis sacrat. Parieti suffixa pendet amplior fascia quaternis redimiculis dependentibus munita, fortasse vinculum conjugale, seu fascia virginalis, quam aliquando Dianae Lisizoniae post partum consecrabant, ut liquet ex veteri Scholiaste in Apollon. Rhod. I. 286.: Λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. *Zonam enim solvunt, quae primum pariunt, eamque Dianae consecrant*. Unde & Athenis Templum erat Dianae Zonam solventis, ut superius etiam adnotavimus.

A tergo mulieris fascia puerilis amplior in spiram, ut solet, involuta conspicitur, sub qua caput alterius clavi, cui commendata erat, observatur. Hanc sinistra demissa mater indigitat, & quodammodo, dum sacra facit, Diis commendat.

TAB. LXIII.

SACRUM GENIALE.

Caeremonia haec subobscura facile trahi potest ad sacra, quae Genio pueri in lucem editi celebrari solebant, ut ille, in cujus tutela esse inciperet, universis sacrorum obsequiis devinciretur. Genium certe hic interesse non dubitamus Juvenem alatum, & reticulo redimitum, qui coronam lemniscatam a matrefamilias acceptam ostentat. Ipsa Genium sentiens praesentem ingenti flabello oculis opposito conversa ipsum intuetur, quae formula reverentiae tribuenda est. Ejus exempla saepe nobis infra occurrent; quod in caussa est, cur flabella inter sacras supellectiles, & divini cultus instrumenta computentur.

Dextera fasciam praesefert, quam infantilem puto ob formam longe diversam a virginali, nam etiam infantilem Diis dedicabant. Tertul. de Anim. cap. 39.: *Ita omnes idolatria obstectrice nascuntur, dum ipsa adhuc uteri infulis apud Idola confectis redimiti, genimina sua Daemoniorum candidat.*

Potissime vero Zonae hae infantiles Dianae consecrabantur. Callim. Scholiast. Hym. I.: Ἢ ὅτι τικτομένων τῶν βρεφῶν ἀνετίθεσαν τὰ ἱμάτια τῇ Ἀρτέ-

Ἀρτέμιδι. *Natis infantibus consecrant vestimenta Dianae*. Et de Zona Puerperarum loquitur Scholiastes Apollonii lib. I. alias citatus: Λῦουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. *Solvunt Zonas primum parientes, & consecrant Dianae*. Hanc autem Zonam seu matris puerperae, seu Nati in plures nodos collectam hic intuemur; Credibile enim est, in actu dedicationis teniolis pretiosioribus constringi consuevisse ad dignitatem munusculo adaugendam.

Tab. LXIV.

PARS POSTICA EJUSDEM VASIS.

IDem Genius, sed implumis sacrum illud superhumerale in sacris usitatum brachiis substinet, & lancem cum frugibus oblatis. De velamine dorsuali, quod saepissime recurrit in hisce Picturis, videnda, quae diximus in citata Dissertatione De Genio Domestico, ubi Genii imaginem hoc gestamine insignitam publicavimus, alteri simillimam, quam in Museo nostro retinemus. Adde Valer. Flac. Argon. I. 660.:

Ergo humeros Ductor sacro velatus amictu,
Aesoniamque capit Pateram........
Ac pelago litat latices,

& Servium Aened. I. 761., ubi hujusce velaminis usum, & religionem manifeste declarat.

Fortuna Genio occurrit scalam sui insigne adtollens, de quo alibi, & uvae racemum, symbolum ubertatis, quod saepius Amaltheae cornu, spectandum offert. Deam hanc in partubus invocatam fuisse non dubito, ut natis prodesset. Hoc enim importat formula illa *fata in Natalibus advocare*, de qua Tertul. loco cit. Fortunae etiam tribuebant vitae cursum prospere emensum. Virg. Aeneid. IV.:

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna, peregi;

Ideo in Nuptiis sponsae Fortunam coronabant, ut ait Servius alias citatus in IV. Aeneid. XIX.

Inter utrumque non otiosus surgit ex humo ramus frondescens, veluti nuper depactus. Id parergon manifeste indicat totam Picturam expressam ad Natalem pertinere, solebant enim Etrusci, ut saepius infra observabimus, statim ac puer natus esset, viticulam, seu virgam populeam

puleam humi defigere ſacram Genio pueri, quam deinde ſtudio maximo, ac religione nutriebant. Hunc morem adtingit Donatus in vita Virgilii: *Virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta ita brevi coaluit, ut multo ante ſatas populos adaequarit, quae arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt ſumma gravidarum religione ſuſcipientium ibi, & ſolventium vota*. Fruticem hunc fatalem ſacris laticibus irrigari conſueviſſe, infra notabimus.

TAB. LXV.

DEA CUNINA INFANTUM CUSTOS.

QUoties ego apud D. Auguſtinum obſervo illam Deorum catervam puerperarum, & infantum cuſtodes, quae nomine tenus ignota eſt, jam nullus dubito, apud antiquos & Templa, & Aras, & ſimulacra obtinuiſſe, quae ſymbolis convenientibus adornata vulgo innoteſcerent. Suſpicionem hanc meam comprobant inſcriptiones Votivae adhuc ſuperſtites, in quibus nonnulli ex hiſce Diis memorantur, quemadmodum Dea Cunina apud Gruterum pag. 96. Ceterum quibus adtributis earum imagines ab antiquis indigitarentur, ignoramus.

Mihi tamen videor ſub imagine ſuperiore hujus Tabulae agnoſcere Deam Cuninam nudam, & volucrem, quae inter geminos vannos, in quibus pueri ab alvo matris excipiebantur, parvulam cunam adtollit, de qua Lactantius de Falſ. Relig. I. 20.: *Cunina Dea, quae infantes in cunis tueri credebatur, & faſcinum ſubmovere*. De hac Nonius cap. II. 756.: *Hiſce manibus lacte ſit non vino; Cuninae propter cunas, Ruminae propter rumam*, Divus vero Auguſtinus eam bis memorat lib. IV. de Civ. Dei cap. VIII.: *Cuninae, quae cunas eorum adminiſtrat*, & cap. XI.: *Ipſe cunas tueatur, & vocetur Dea Cunina*.

Ejus vero potiſſimum officium verſabatur in faſcino depellendo, & Strigum maleficiis averſandis, quod potiſſime ſolebat, porcellae viſceribus ſub Dio expoſitis. Ovid. Faſt. VI. 2.:

Spargit aquis aditus, & aquae medicamen habebat,
Extaque de porca cruda bimeſtre tenet;
Atque ita noctis aves extis puerilibus, inquit,
Parcite; pro parvo victima parva cadit.

Adhi-

Adhibebatur etiam in id officium ſpina alba, de qua ſupra ad Tabulam LII.

In linea inferiore materfamilias habitu pene domeſtico, hoc eſt ſimpliciter tunicata domeſticis Diis ſacrum parat offam prae manibus gerens.

Tab. LXVI.

DII DOMESTICI SACRO ADSTANTES.

Utraque figura in hoc poculo expreſſa divinitatem ſpirat, Genius aliger, & Mulier ſeminuda prolixo monili per humerum diffuſo exornata, qui cultus cum a communi, & domeſtico alienus eſſet, ad Divos referendus eſt, quibus licentia ornamentorum relicta erat, ut conſtat ex Sigillis. Uterque ſedet, illa in ſeſopia, hic in ſaxo, & pari geſtu ſiniſtra lancem adtollunt papaveribus refertum. His Lucinam placabant, ut tradit Natalis Comes Mythol. lib. V. cap. 14.; erant enim ob prodigioſam ſeminum copiam ſymbolum foecunditatis, auctore Porphyr. apud Euſebium de Praepar. Evang. III. 2., ex quo factum eſt, ut Cereri tribuerentur, immo & Auguſtis feminis paſſim in nummis, veluti omen foecunditatis. Dextera pateram ſtringit, cujus manubrio ramuſculus virens adjunctus eſt ad puerperae luſtrationem, quale officium Lucinae partuum praeſidi referendum erat. Ceterum obſervamus Deas omnes puerperarum cuſtodes vel nudas, aut ſeminudas ab Etruſcis effictas fuiſſe. Sedes plicatilis eſt, inſigni clavo munita.

Genius Deae obſequitur cum pari oblatione papaverum. Dextera guttum adtollit, ex quo vinum in pateram Deae infundat, ſive oleum, aut unguentum, quo maxime Genius delectabatur. Tibul. II. 2.:

Illius puro diſtillent tempora nardo.

Tab. LXVII.

SACRUM NATALITIUM.

Materfamilias Genium muliebriter ornatum veneratur, eique vannum reſignat, in quo natus ex utero prolapſus exceptus eſt. Solebant enim obſtectrices infantulos primum in vannis conlocare, ut colligitur ex Callimacho in Jovem 47.:

σε

σὲ δὲ κοίμισεν Ἀδρήστεια
Λίκνῳ ἐνὶ χρυσέῳ.

te vero circumtulit Adraſtea
In aureo vanno,

ubi vetus Scholiaſtes: Ἐν γὰρ λίκνοις τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη, πλοῦτον, καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. *In ventilabris olim infantes dormituros conlocabant in futurarum divitiarum, & affluentiae auſpicium*. Quod etiam in honorem Bacchi factum fuiſſe puto, qui Licnites inde dictus eſt. Heſych.: Λικνίτης, ἐπίθετον Διονύσου ἀπὸ τῶν λίκνων, οἷς τὰ παιδία κοιμῶνται. *Licnites, epitheton Bacchi a vannis, in quibus infantes dormiunt*. Nam & Bacchus, ut tradit Serv. Georg. I. 166., *in vanno de more poſitus eſſe dicitur, poſt quam eſt matris utero editus*.

Genius e contra Arcam, ſeu Cunam, in qua natus educandus eſt, matri offert. Vitta conjugalis ſuperne e duplici clavo pendet.

In adverſa Vaſculi facie parentes Sacro Natalitio per lavacrum ſeſe praeparant. Surgit ingens crater, cui mater innititur cum ingenti flabello, quo, ut ſaepe vidimus, mulieres obſequii, & verecundiae cauſſa in ſacrificiis utebantur. Sedet e contra parens linteo balneari per tergà circumducto, poſt quem e ſolo adſurgit nova arbuſcula Genio pueri ſacra.

Genius ſupra balneum volitat matri coronam offerens, & viro ramum; ſeu potius haec ſunt ſacrificii inſignia, corona, & laurus luſtralis.

Sub fonte pendet hinc vitta, inde guttus oblongus ad oleum poſt lotionem miniſtrandum praeparatus, nam loti ſemper ungebantur.

Id etiam officium praeſtabant infantibus poſt primam ablutionem, ut firmiores fierent, ut conſtat ex Nonno Dionyſ. XXV. 489., ubi inter puerperii adparatum connumerat χύτλα *Vaſa olearia*.

Tab. LXVIII.

SACRA NATALITIA.

INtellectus hujus Picturae pendet a linea inferiore, in qua senex barbatus cunam adtollit ante lectulum Picumno, & Pilumno constitutum, illamque sub illorum tutela constituit, ut puerum ab incursu Silvani, & Strigum defendant. Hisce enim tutelaribus Diis lectulum in atrio sternere solebant, ut auctoritate Nonii, & Servii, & Divi Augustini demonstravimus supra ad Tab. LIX.

Junoni quoque par obsequium praestabant veteres in puerperiis, ut constat ex eodem Servio in Eclog. I. 62.: *Nobilibus pueris editis in atrio domus Junoni lectus, Herculi mensa ponebatur*. Et Tertul. de Anima cap. 39. de puerperiis agens haec habet: *Dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribunda advocantur*; Ubi mensam pro lecto usurpat, nam lectulus iste pompaticus Diis in mensa sternebatur, & erat quaedam species privati lectisternii, quod in Templis adparari solebat in solemnibus supplicationibus. De fatis advocandis infra erit sermo.

Senex ille barbatus Lar est familiaris, nam Etrusci semper rasi adparent. Deum hunc contra barbatum fingebant ea potissimum ratione, ut Lares antiquos domus custodes esse demonstrarent. Hinc persaepe patrios, avitos, & antiquos, & veteres nominatos apud Scriptores observamus. Baculum illis adtribuerunt, ut alibi indicavimus, ut fures abigerent, qua de caussa etiam canes Lari conjunxerunt, ut demonstrat Ovidius Fast. V. 137.:

Exagitant & Lar, & turba Diania fures,
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Pendet a tergo suspensus parieti pileus, cujusmodi Laribus saepe adtributum observabimus in sequentibus Tabulis, volitante in ejus apice fasciola, quae hic in nodum colligata circulum format, ut suspendi posset, & clavo commendari. Infra vero pendent bacculae, quae sub mento colligatae tegumentum contra vim ventorum confirmarent. Alibi quoque adnotabimus, pileum hunc votivum Laribus suspensum, veluti ob peregrinationem feliciter confectam, cum in patriam sese aliquis recepisset.

In

In linea ſuperiore mulier ſtolata ſurgit e δίφρου λοχαιαίου, *ſella obſtetricaria*, qua περὶ τὸ ἀποτεκεῖν χρῶνται αἱ γυναῖκες, *mulieres in puerperio utuntur*, ut tradit Artemidorus lib. V. 73., illamque balnearii ſimilem fuiſſe, tradit Chimentellius de Honor. Biſſell. cap. 25. Surgens vero veluti e puerperio ſtatim Diis litat manu indicans ciſtam pomis, ſeu frugibus onuſtam. Multa enim fuere ſacrificia, quae pro pueris recens natis fieri ſolebant. Sveton. in Claud. 112.: *Natalemque geniti nepotis ſilentio, ac tantum domeſtica religione tranſegit*. Frequentiora erant quinto die. Plaut. Trucul. II. 4.:

Quin Diis ſacrificare hodie pro puero volo,
Quinto die quod fieri oportet.

Erant praeterea dies luſtrici, qui potiori ſacrificio honorabantur, quemadmodum dies a partu quadrageſimus, ad quem fortaſſe ſpectant Picturae iſtae, in quibus puerpera jam a partu abſoluta ſacris intereſt. Cenſorin. de die Natal. cap. II.: *In Graecia dies habent quadrageſimos inſignes . . . cum is dies praeteriit, diem feſtum ſolent agitare, quod tempus appellant* τεσσαράκοστον.

Notandum quoque eſt, ipſo die Natali obſtectricem pro puerpera ſacrificium offerre conſueviſſe. Id colligo ex Euripide in Electra V. 1124., in qua Electra ſic loquitur cum Clytemneſtra:

Ἠλε. Ἤκουσας οἶμαι τῶν ἐμῶν λοχευμάτων,
Τούτων ὑπὲρ μοῦ θῦσον. οὐ γὰρ οἶδ' ἐγώ,
Δεκάτῃ σελήνῃ παιδὸς, ὡς νομίζεται.
Τρίβων γὰρ οὐκ εἰμὶ, ἄτοκος οὖσ' ἐν τῷ πάρος.
Κλυ. Ἄλλης τὸδ' ἔργον, ἥ σ' ἔλυσεν ἐκ τόκων.

Elec. *Audiſti, opinor, meum puerperium,*
Ob hoc meo nomine ſacrifica, non enim ſcio ritum ego,
Decimo die a puero nato, ut moribus eſt receptum.
Perita enim non ſum, quia numquam ante peperi.
Cly. *Alterius hoc munus eſt, quae te partu liberavit.*

Quapropter cum matronas ſacrificantes pro partu in hiſce Picturis obſervamus, credendum eſt, non ipſas pueperas repraeſentari, ſed alias mulieres, quae illarum vicem gererent, & praeſertim conjunctas, ut colligitur ex eodem Euripide loco citato, vel haec ſacrificia ad quadrageſimum diem pertinere, quo matri jam luſtratae ſacrificare fas erat.

K 2 Cete-

Ceterum non matres tantum, ſed & pueri luſtrabantur die luſtrico. Feſtus in *Luſtrici*: *Luſtrici dies infantium appellantur; puellarum octavus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, eiſque nomina imponuntur*. Hujus caeremoniae officium totum pertinebat ad Deam Nundinam, de qua Macrobius Satur. lib. I. cap. 16.: *Eſt etiam Nundina Romanorum Dea, a nono die naſcentium nuncupata, qui luſtricus dicitur. Eſt autem luſtricus dies, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt*. Hujus Deae imaginem in hiſce Picturis deliteſcere una cum Deabus ceteris partui reſidentibus, nullus dubito, ſed, occultis adhuc nobis illarum inſignibus, nondum digito monſtrare praeſumimus. Praeſtabunt hoc aliquando ii, qui felicius in majore hujus ſtudii luce verſabuntur. Ad hanc luſtrationem pertinent ova, & aſpergilli, inſtrumenta hujus caeremoniae ubique diffuſa.

TAB. LXIX.

SACRIFICIUM NATALITIUM.

SAepe monui, Etruſcos noſtros magnifico quodam ſtilo uſos fuiſſe ad res alioquin vulgares exprimendas, & Deos, Deaſque ad humanas caeremonias exprimendas hominum loco uſurpaſſe. In hac Tabula ſacrificium omnino domeſticum exprimitur, quod manifeſte colligitur ex forma Arulae, quae penitus familiaris eſt. Genia alata tibias pares geſtat. Veſta, ſive Dea Pudicitia velum in caput adtollit, quemadmodum utraque obſervatur in nummis.

Altera ex Deabus manu tunicam leniter adtollit, ex qua actione Deam Spem in nummis, ſigillis, & ſimulacris incunctanter deſignamus. Ultima ſedens citharam pulſat, & carmen proferre inſimulat. Notavimus ſupra, in Nuptiis inductas fuiſſe Parcas, ut ſponſis fata canerent. Idem praeſumptum in Natalibus, in quibus advocantur Carmentes ad fata pueri praecinenda. Div. Auguſt. de Civ. Dei IV. 11.: *Non ſit alius, ſed ipſe in Deabus illis, quae fata naſcentibus canunt, & vocantur Carmentes*; & Tertul. in libro de Anima ſupra citatus cap. 39., ubi loquitur de puerperiis: *Dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur, dum ultima die fata ſcribunda advocantur*. Quin & colligitur ex Divo Chryſoſtomo in Commentario ad Galatas, haec fata cum voto conce-

concepta, tabulisque obsignata ipsorum infantum capitibus subiici consuevisse, quae caeremonia hic exprimitur per unam ex Carmentis citharam pulsantem.

TAB. LXX.

SACRUM KALENDARIUM.

PUblicis Sacris, quae per singulas Kalendas celebrari solebant, accessere etiam privata; Nam, illis advenientibus, singulae familiae Lararia domestica patefaciebant, Diisque suis sacrificia instaurabant. Propert. IV. 3.:

rarisque assueta Kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares.

Mulieres vero huic officio insistebant, ut constat ex hac Picturarum serie, in quibus ipsae conspiciuntur, quae adapertis sacellis divino cultui insistunt.

Matrifamilias seminudae, & veluti de balneo surgenti, jamque se sacro praeparati cum musico concentu occurrit Genius molliter ornatus, coronam simul sacrae caeremoniae indicium, & diptycham tabellam, seu librum apertum ostendit, in quo duorum mensium singuli dies distinctis calculis signati sunt. Etrusci in scribendo non tantum voluminibus utebantur, ut veterum monumentorum testimonio demonstratur, sed etiam libris subtilibus compactis ex multitudine foliorum, uti adparet ex hoc testimonio, rursusque ex aliis, quae in notis ad Urnas Etruscas producturi sumus, in quorum operculis mulieres jacent, apertum librum cum proprio nomine inscripto posteris ostentantes.

Habuerunt praeterea Etrusci prope Laria tabellas suspensas, in quibus Kalendaria descripta fuisse suspicor, nam multiplici clavorum ordine distinguuntur, ut inde palam fieret, quo die publica, privataque Sacra fieri operteret. In hoc praesenti exemplo bini menses descripti sunt, singuli terno dierum ordine, nempe distincti in nonas, idus, atque Kalendas.

Mulier tympanum cum bacillis prope suspensum manu demonstrat, cujus repercussu festum diem domui praenunciaret. Id instrumentum in Sacris Bacchi, & Cybeles nuda manu pulsabatur. Catul. LXI. 8.:

Niveis citata cepit manibus leve tympanum, ...

Tympa-

Tympanum, tubam, Cybelles, tua, Mater, initia.
Quatiensque terga tauri teneri cava digitis;

& Ovid. Metam. IV. 30.:

Femineae voces, impulsaque tympana palmis.

Aliquando vero capitatis virgis percutiebatur. Isidor. III. 21.: *Tympanum est pars media symphoniae, in similitudinem cribri, & ipsum, ut symphonia ad virgulam percutitur.* Ex hujus vero eximii Doctoris auctoritate vix credidissem, hanc tympani formam adeo antiquam fuisse, ut Etruscorum tempora attigisset. Ast hujus Vasis testimonio adsequimur, hujus instrumenti ex genere *pulsatilium* formam antiquissimam esse, & ab Etruscis usitatam.

Mulier manu, & pede citharam movet peculiarissimae formae. Id instumentum ex genere *tensilium* est, & monochordon exhibet, quod rotae versatione chordam scalpentis sonum ciebat, tonum variantibus taxillis mobilibus, qui spatium chordae vel corriperent, vel producerent. Id instrumentum ex hac Pictura excerptum publicavi in Praefatione egregii operis Johannis Baptistae Donii de Lyra Barberina, quod nuper Florentiae publicatum fuit, me operi ultimam manum admovente. In ea igitur Praefatione, in qua multa de instrumentis musicis antiquorum collegi, id organum ita descripsi ex Tabul. III. num. 7. pag. X.: *Producimus monochordum Etruscum ex Pictura Vasis nunc primum in lucem proditum, quod maxime respondet Organo Germanorum, vulgo Lyra Mendicorum. Mulier sedens sinistro pede premit curvitatem instrumenti in* B, *cujus extrema pars aliquantum repanda in* G *humi insistit. Hasta organi in* DD *quiescit supra genu dexterum feminae, quae manu dextera vertit manubrium intortum, cujus ope volvitur rota, quae chordam carpit, atque perpetuum murmur inde elicit. Manu vero sinistra octo taxillos* DDDD *premit, qui alternatim hinc, & inde chordam prementes, octo diversas voces ex unica chorda distinguunt. Haec ego in hujusmodi instrumenti tractatione, & usu meditatus sum, & peritioribus examinanda propono.*

In angulo Tabulae mulier stolata columellae, hoc est Larium foculo innixa, & cingulo gemmato insignita pateram stringit sacrificio destinatam. At Dei adventum verita illam prae oculis obiicit, ne Deum impune conspiciat.

CLASSIS

CLASSIS VII.

TOGAE VIRILIS ADSUMPTIO.

Tab. LXXI.

LAVATIO PRAEPARATORIA.

Romanum inſtitutum tradendae virilis Togae adoleſcentulis, qui puerilem praetextam cum bulla dimittebant, idque cum magna ſolemnitate cum domeſtica, cum publica, de qua multa erudite, ut ſemper, tradidit Dempſterus Etrur. Reg. lib. III. cap. 31., manavit ab Etruſcis, unde cetera omnia, quae ad Imperii majeſtatem, & populi culturam pertinebant, excepta ſunt. In tanto Scriptorum ſilentio unum nobis argumentum ſuppeditat ad hanc derivationem comprobandam teſtimonium Picturarum Etruſcarum, quas in praeſenti Claſſe prodituri ſumus; in illis enim non modo haec caeremonia repraeſentatur ſub eo adſpectu, quo prodibat in publicum, quemadmodum a Latinis Scriptoribus tradita eſt, verum etiam qua inter domeſticos parietes praeparari, atque ordinari ſolebat, quod Scriptores penitus tacuerunt, & nos penitus ignoraremus, niſi congeſta ſimul horumce monumentorum ingenti ſerie, eaque per partes diſtributa, totam hujus ſolemnitatis hiſtoriam componere nobis licuiſſet.

Cum adoleſcentes annum XV. exceſſiſſent, depoſita puerili praetexta cum bulla, Togam puram adſumebant, & tirocinium virilitatis inchoabant; unde per annum vulgo tirones nuncupabantur. Hanc aetatis legem aliquando Principes viri antevertebant, ſed communiter ſervabatur. Sveton. in Auguſt. cap. 8.: *Duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit; quadriennio poſt virili Toga ſumpta, militaribus donis triumpho C. Caeſaris Africano donatus eſt*; Et vetus Horatii interpres ait: *Nobiles pueros praetexta veſte ſub diſciplina uſque ad annum XV. uſos*, quale tempus ſervavit Cicero, ut notat doctiſſimus Mydletonius in illius Vita, dum Filio ſuo nato anno urbis DCXC. Togam adtribuit anno DCCV.

Haec ſolemnitas quocumque die, dummodo non nefaſto, fieri poterat, ſed potiſſime eligebantur Saturnalia, & Liberalia, quod infra demonſtrabimus, ut in magna tunc populi frequentia producerentur in publi-

publicum; id enim nihil aliud erat, quam novum civem civibus ostendere, &, ut ait Claudian. de VI. Conf. Honor.:

Romano puerum gaudens offerre favori.

Potissime vero deducebantur in forum togati, aliquo inlustri viro auspicante, ut saepe infra observabimus, deinde sub eodem Duce Capitolium adscendebant, ut de Marco Cotta ait Val. Max. V. 4. 4., & de Claudio Svetonius cap. 2. 5.; Par enim erat, ut initium civilis vitae a Sacris auspicaretur.

Ceterum in hac solemnitate conventus amicorum convocari solebant, convivia celebrari, & munera vicissim elargiri. Plin. Epist. I. 9.: *Si quem interroges hodie, quid egisti? Respondeat, officio Togae virilis interfui*; & lib. X. 117.: *Qui virilem Togam sumunt, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel singulos dare*. Huc spectant, ut puto, pocula, & Vasa insignibus hujus caeremoniae adornata, quae infra producturi sumus.

Praecessisse lavationem adolescentis, minime dubito; nam tota actio Religionem redolebat; fieri enim debebat in conspectu Deorum domesticorum, & non sine sacrificiis. Lavatio vero non tantum ad munditiem, & dignitatem corporis pertinebat, sed etiam ad expiationem animae, si quid in prioris vitae curriculo peccatum esset, ut observavimus in notis ad Vasa Gamelia; quapropter a balneis exordiri debuerat praesens tractatio. Praeit poculum Clarissimi Paciaudii Viri summi, mihique veteri benevolentia conjunctissimi, quod ille dudum inlustravit peculiari opusculo De Umbellae Gestatione omni doctrinae genere refertissimo. Igitur in antica parte adolescens conspicitur jam tonsus (nam ante id tempus pueri capillati incedebant) qui nudus, sed protectus umbella descendit in balneum. Ex duobus anulis pendet linteum, quo lotus detergatur, sub quo vestes depositae, simulque accumulatae conspiciuntur. Balneo imminet columella, cui impositum cernitur ligneum instrumentum, sive mensula ad instar abaci, in qua strigiles, spongiae, unguenta, & quidquid denique, quo in balneo opus esset, locabatur.

Ex adverso adolescens jam lotus syndone corpus abstergit. Mensula loco amota otiosa humi jacet prope cumulum vestium. Ejus loco columellae imminet muscarium, seu flabellum ornatissimum. Hastile proximum

ximum trochleam sustinet ad adtollendum tentorium, sive siparium, quo balneum operiebatur. Notandae in corpore nudo geminae armillae etiam in balneo tenaciter conservatae, quae, ut puto, gemmas prophilacticas continerent, quae numquam deponerentur, ut supra notavi ad Tab. XXX.

Tab. LXXII.

IDEM ARGUMENTUM.

Transacto ab adolescentibus anno XV., parum intererat, an in principio, seu fine anni sequentis togam induerent, dum intra annum XVI. id decus adsequerentur. Hinc saepe factum est, ut parens unica solemnitate duos filios inter viros assereret, quo ego referendam puto hanc Picturam, in qua gemini Tirones, arbitro intermedio, lavantur, illoque auspicante, togati procedunt.

Plures etiam adolescentes ex diversis familiis sub uno ductore, atque doctore educabantur, ut colligitur ex Horatio I. 36.:

Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul Togae.

Hinc conspicimus in prima linea duos adolescentes balneo jam paratos, quorum unus strigilem adtollit, medius vero custos, sive institutor cum virga aram manu designat, ubi pro bene acta pueritia ultimum offerri sacrum jubet, & vota persolvi.

Stant seorsim praetextae depositae, & in fasciculum colligatae, de quarum usu infra agendum erit.

In linea inferiore adolescentibus jam toga data est, praeceptore intermedio cum virga; & qui nudos in balneo nudus procuraverat, atque mundaverat; nunc togatos instruit, commonetque, quomodo in novo vitae curriculo sese contineant. Praeceptor more virorum exertus est nudo brachio, quod Tironibus per annum vetitum erat, ut utroque brachio toga contecto modestiam simul, & verecundiam, tamquam actionibus nondum idonei profiterentur, ut suo loco videbimus.

Omnium toga limbo fusco in utraque extremitate distincta est. Laciniam panni indicare puto longe diversam a clavo purpureo, quibus

prae-

praetexta ornabatur, nam toga virilis omnino candida erat, unde *pura* vulgo audiebat. Cum vero toga nihil esset, nisi pannus quadratus simplicissimus, quemadmodum a textrina deducebatur, ita prorsus corpori circumponi solebat, reservatis etiam ad panni firmitatem limbis crassioribus, sive marginibus discoloribus, qui candori totius vestis minime officiebant, veluti quid extrinsecum ab ipsa toga.

TAB. LXXIII.
IDEM ARGUMENTUM.

MAterfamilias palliata balneum filio paratum examinat, utrum convenienter dispositum sit.

Ex adverso latere adolescens jam lotus, & linteo involutus requiescit in sella balnearia ad spiritum reficiendum. Duplici velamine utebantur antiqui post balneum, aestate lacerna, hyeme laena. Lamprid. in Alex. Sev. cap. 42.: *Thermis & suis, & veterum frequenter cum populo usus est, & aestate maxime balneari veste ad palatium revertens, hoc solum imperatorium habens, quod lacernam cocineam habebat.* Laena erat vestis crassior, atque villosa, utraque oblonga, quae in medio pectoris unco conjungebatur, ut utrumque humerum, brachia, & quae infra sunt usque ad genua, tueretur. Ejus imaginem videas supra in Tab. XXXIV., ubi Nuptiae Pelei, & Thetidos adumbrantur.

Senex barbatus adolescenti occurrens Larem mihi repraesentat, quo auspice, ut videbimus, celebritas haec absolvebatur, nam, ut saepe monuimus, Etrusci numquam barbam coluerunt. Itaque juveni sedenti, & vota sua nuncupanti Lar domesticus praesto est, devotumque sibi alumnum confirmat.

TAB. LXXIV.
IDEM ARGUMENTUM.

INter munera Saturnalitia, quae invicem traducebantur ab amicis, computabantur etiam Strigiles, ut constat ex Martiale XIV. 51., veluti qui in maximo usu erant apud antiquos. Quin etiam Jovi eos cum linteis offerrebant; Deo enim tam delicato necessarii putabantur, quo illis sudorem abstergeret, si quando humani generis cura illum

lum plus aequo fatigasset. Seneca Epist. 95.: *Vetemus lintea, & strigiles Jovi ferre*. Ast cum toga adolescentibus traderetur, munus id solemne illis fuisse judico, cum in hisce imaginibus videam id insigne fuisse illis constantissime adtributum. Et revera cum praetextatis interdictus esset usus publicorum balneorum, hoc veluti symbolo denotabatur, legem hanc evasisse, cum virilem togam acciperent.

In primo Vasculo nudus adolescens strigilem manu sinistra substinet, dextera vero nodosum quoddam cingulum, fortasse lorum illud coriaceum, quo pueri minoris fortunae loco bullae utebantur, ut constat ex antiquo Scholiaste Juvenalis Sat. V. 165.: *Antiquitus pueri bullas aureas habebant; pauperum de loris signum libertatis*. Antiquitus vero scorteum id insigne non pauperum modo, sed etiam nobilium fuisse puto, nam bulla aurea paucis tantum permissa erat, *& dumtaxat illis, quorum patres curulem gesserant Magistratum*, ut ait Macrobius Satur. I. cap. 6. Et revera video plurimas votivas nobilium puerorum imagunculas in Etruria effossas, simplici loro hujuscemodi intorto circa collum decoratos.

Mater in adversa parte pateram, sive speculum dextera adtollit, sinistra vero oram linteoli, quo praecincta est ad filium abstergendum, substinet. Modus iste lintei ministrandi singularis est in hac Pictura. Lintea, & strigiles fere semper conjuguntur. Juven. Satyr. III:

domus interea secura patellas
Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, & pleno componit lintea gutto.

In poculo inferiore matrem observamus ad Lares accedentem cum patera, & floreo serto, quo Deorum domesticorum sedem exornet.

De globo decussato, & quaternis clavis suffixo infra agendum erit.

Adolescens stat nudus sub Larario strigilem adtollens. Infra ex clavo duplex vestis pendet, puto tuniculam, & togam complicatam mox suscipiendam. Haec caeremonia ante Lares domesticos perficienda erat. Propert. IV. 1.:

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo
Matris, & ante Deos libera sumpta toga est.

Tab. LXXV.

IDEM ARGUMENTUM

VAſcula ſine delectu cumulata in hac Tabula ad varias claſſes pertinent. Unum, quod ſpectat ad hanc praeſentem, continet nudum adoleſcentem cum ſtrigile, qui togatum adloquitur.

In altero Matrona ſedens ſacrificio diſpoſita arculam ſubſtinet votivam, in qua praetexta pueri Diis reſignanda continetur, ad cujus pedes luxuriatur vitis Baccho ſacra, quam pro puero, Liberalibus recurrentibus, dum togam accepiſſet, conſerere ſolebant, quemadmodum in die natali, ut teſtimonio harumce Picturarum frequentiſſimo comprobatur.

Puella cum lance, & flabello tria ova defert ad luſtrationem.

In poſtremo caput mulieris reticulo ornatum conſpicitur, quemadmodum illud deſcripſimus in notis ad Tab. XVIII., & ſequentes.

Tygris ex alia parte depicta eſt, haud levi indicio, Vas iſtud pertinere ad Bacchi Myſteria. Tabella parieti ſuſpenſa loculum indicat, in quo Lares domeſtici ſervabantur, peſſulo tranſverſo, ut fere ſemper, occluſum.

Tab. LXXVI.

ADOLESCENS BALNEO PRAEPARATUS.

AD idem argumentum pertinet haec Pictura, in qua puer nudus e manu genitricis guttum olei recipit, quo lotus ungatur.

Tab. LXXVII.

IDEM ARGUMENTUM.

ALter ex ephebis, linteo circumpoſito dexterae, ſpongiam a matre acceptam in uſum balnei adtollit ſiniſtra. Plin. XXXI. 2.: *Spongiae praeſtant, & ſtrigilum vicem, linteorumque affectis corporibus.*

Parens baculo innixus, quem in Saturnalibus geſtabant, adſiſtit, mater vero ſpeculum oculis anteponit.

TAB.

Tab. LXXVIII.

ADOLESCENS POST BALNEUM MATRI OCCURRENS.

Convenit cum superiori haec Pictura, in qua adolescens lotus, & linteo sese astergens ad matrem accedit, quae sedens, & lancem adtollens cum piaminibus manipulum florum filio offert, quibus Lares exornet. Horat. Epist. II. 1. 143.:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino Genium.

Res quidem ante Deos agitur, nam paries ornatur floribus, & gemino libo, quo mater, & natus singillatim Deos venerentur.

Vinculum conjugale pendet inter haec anathemata, veluti fidei, & concordiae conjugalis monumentum.

Tab. LXXIX.

MATER GENIO SACRIFICANS.

Genius matri occurrit, & spolia aetatis puerilis cingulum, seu lorum bullae, & arculam cum deposita praetexta sibi dicata jactabundus ostentat; vestem enim puerorum veteres sacram habebant, non tantum quia illos ab omni injuria tuebatur juxta Quintilianum alibi citatum: *Ego vobis allego sacrum praetextatum, quo infirmitatem pueritiae sacram facimus*; unde Juvenal. Sat. XIV. *v.* 47.:

Maxima debetur puero reverentia; si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,

sed potissime quia, ut liquet ex hisce Picturis, vestes omnes, quae pertinebant ad mutationem status, Diis sacras reputabant, quibus emenso aetatis, seu status curriculo, dedicari, ac suspendi deberent, ut suo loco de togulis virginalibus ex Arnobio demonstravimus. Ita etiam bullae Laribus dedicabantur.

Mater sedens more concipientium vota, sive solventium coronam lemniscatam imponit arbusculae Genio sacrae, quae ad illius pedes frondescit.

TAB.

Tab. LXXX.

IDEM ARGUMENTUM CUM TABULA LXXVIII.

Confirmat praecedentes conjecturas haec Tabula, in qua ante juvenis pedes surgit vitis Baccho sacra, atque etiam Genio, quam in hisce solemnibus humi conseri debuisse puto. Mater occurrens speculo gemmato adspectum filii nudi vitat pudoris gratia; quam formulam cum frequentissime observatam videam, ad mores, & instituta pertinuisse puto.

Tab. LXXXI.

SACRUM POST BALNEUM.

Mater filium antecedentem excitat ad sacrum Diis offerendum. Ille adhuc nudus cum linteo balneari ad aram properat coronam adtollens. Paries duplici libo decussato, quaternis clavis suffixo conspicuus est.

Quod attinet ad coronas, video plerumque impositas fuisse tironum capitibus, nam saepe saepius hoc gestamine decorantur. Eam tamen domi tantum gestatam fuisse, credo, dum sacrum praetextatum celebraretur; Quo peracto, coronam hanc imponebant viti sacrae, quae hac occasione humi plantari solebat Genio pueri sacra, ut colligitur ex Picturis, quas sequenti Tomo proferemus.

Tab. LXXXII.

SACRUM PRAETEXTATUM.

Puer lotus, & adhuc nudus ad aram sacrum praetextatum perficit, vinum e patera invergens, de quo Quintilianus mox citatus: *Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum praetextatum .... quo infirmitatem pueritiae sacram facimus, & venerabilem.* A tergo sacrificantis pileus e clavo suspensus pendet, veluti votivus Lari Viali, de quo supra ad Tab. LXVIII. Alia etiam subest ratio hujus parergi; cum enim toga etiam in Saturnalibus tribueretur adolescentibus, per continuos illos dies pilei gestabantur. Mart. XI. 6.:

Unctis

Unctis falciferi Senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma,

& lib. XIV. 1.:

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque Senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

In parte adversa idem adolescens laneo circulo coronatus, & toga circumdatus baculum stringit, quem in Saturnalibus gestabant, ut auctor est Macrobius. Virgas etiam, sed vitigineas gestasse Etruscos, dum Liberalia celebrarentur, verosimillimum puto, haud levi testimonio praesentium Picturarum; nam plerumque id gestamen rude, & impolitum, quin & aliquando nodosum, & frondescens, ut in sequentibus Vasculis Musei mei; Hoc enim symbolo Bacchi cultores distinguebantur, semper thyrsigeri.

Tab. LXXXIII.
IDEM ARGUMENTUM.

Materfamilias pro filio jam togato, qui infra expressus est, vota suscipit, & Diis domesticis coronam, seu torquem suspendit. Quin etiam addit monile gemmeum, quod ut intelligeremus compactum esse ex margaritis, Pictor ingeniosus pendens expressit ex concha margaritifera; Constat enim antiquos, quaecumque pretiosiora haberent, Diis offerre consuevisse, inter quae gemmas, & margaritas, quae nullae habebantur in templis Barbarorum. Lucan. IX. 517.:

Non illic Lybicae posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.

At contra Etrusci, ac Romani, quaecumque speciosiora habuissent, veluti Diis reservata in templis dedicabant. Exemplum unionis superstitis ex Cleopatrae luxu dedicati Romae in Templo Deorum omnium, de quo Plinius IX. 33., pro multis assertum confirmet.

Mulier dexterum pedem adtollit, quod ad formulam pertinet, ut constat ex Vitruvio: *Matresfamiliarum ad supplicationem gradibus ascendunt.*

dunt. Id contra vetitum erat Flaminicae, de qua Servius Aeneid. IV. 646.: *Apud veteres Flaminicam ſcalas plus tribus gradibus, niſi graecas ſcandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve ſubter conſpiceretur.... ut non paterentur extolli veſtem, aut nudari crura*. Scalae graecae, ut ſubdit Auctor, erant ita tabulis contecte, ut adſcendentium inferiora occultarent.

TAB. LXXXIV.

PRAETEXTA DEAE JUVENTAE OBLATA.

NOtavimus ſupra, Deae Juventae maximum honorem adhibitum ab his, qui togam virilem acciperent; nam, ut ait Divus Auguſtinus de Civ. Dei IV. 23., illa erat, *quae poſt praetextam excipiebat juvenilis aetatis exordia*, cui propterea Tirones univerſi vectigal ſolvebant, ut ſaepe notavimus. Hanc ſtantem in ſacello conſpicimus, cui materfamilias humili habitu, hoc eſt ſine ſtola, praetextam filii, & cingulum offert, veluti votivum pro bene exacta pueritia.

Dextera manu bullam puerilem decuſſato vinculo adligatam defert in ſacello Diis Laribus ſuſpendendam. Pers. Satyr. V. 30.:

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Non enim ſoli Lares colebantur in domeſtico Larario, ſed Dii omnes, qui caeremoniis familiaribus praeſidebant. Circumſtant aediculam Deae quatuor, quae caeremoniam condecorant, & cuncta conferunt, quae ad ſacrum perficiendum prompta eſſe debebant. Fortuna cum conſueto ſymbolo ſcalae, & mola ſalſa.

Imminet Fortunae Dea cum lance floribus, ſeu pomis redundante, cumque ferula in vertice bifida. Id geſtamen Latinis moribus inſuetum, Etruſcis vero uſitatiſſimum Deam hanc proprio nomine deſignare non permittit. Cererem eſſe ſuſpicor, cujus memoria cumulabatur cum Liberalibus, in quibus plerumque toga virilis tradi ſolebat, ut manifeſte demonſtrat Ovid. Faſt. III.

Luce ſua ludos uvae commentor habebat,
Quos cum taedifera nunc habet ille Dea.
Ergo ut tironum celebrare frequentia poſſet,
Viſa dies dandae non aliena togae.

Sedet

Sedet contra Dea cum libo, cui gemini ramufculi ad luftrationem infiti funt, & coronam lemnifcatam geftat, fortaffe Hilaritas, nam etiam in nummis illius imago confpicitur coronam folutam manibus fubftinens, quam hic in gyrum collectam praefefert.

Subjecta Dea cum fpeculo, & ferula pomis undique onufta, & fuperne trifida Dea Libera facile eft, quam in Bacchanalibus hoc fymbolo ornatam frequenter obfervabimus. Sacrum quoque velum ab utroque cubito pendens geftamen eft Bacchicum, nec alibi ufitatum demonftrabunt Picturae fuo loco publicandae.

Tab. LXXXV.

DEA JUVENTA SEDENS IN LARARIO.

Praecedens Tabula commode explicat hanc praefentem, in qua Dea Juventa fuper arcam facrorum fedens manu adtollit fcriniolum, in quo praetexta depofita, fibique votiva condita eft. Teftimonium reddit huic conjecturae bulla puerilis ex arcula pendens, quae Laribus, ut fupra monuimus, dedicari folebat. Hanc parentes infantibus natis adfignabant, ut eruitur ex Plauto Rud. IV. 4.:

Et bulla aurea eft, pater quam dedit mihi natali die.

Hanc confuetudinem Etrufcam fuiffe, abunde probat teftimonium frequens praefentium Tabularum; Ex eis autem Romani eam fufceperunt, Romulo adhuc regnante, cum, tefte Macrobio Saturn. I. 4., ille bullam auream largitus fit primo infanti, qui ex Sabinis mulieribus natus effet. Hanc adolefcentibus mortuis, antequam togam fumerent, in fepulcro cum offibus deponebant.

Ciftae pomis plenae facile fubindicant largitionem aliquam populo factam fuiffe in hac celebritate, quemadmodum in Nuptiis nuces fpargi folebant.

Tab. LXXXVI.

IDEM ARGUMENTUM.

Dea, quam in praecedenti Tabula obfervavimus in Larario fedentem, iterum hic recurrit fub eodem ipfiffimo adfpectu. Occurrit illi lotus adolefcens facrum offerens, antequam togam fibi circumdet, quam in dextero brachio complicatam defert.

Lauro, ſeu Myrto coronatus eſt, ſed peracta praeſenti caeremonia, myrteam coronam deponere debebat, & laneam ſumere, quam ſibi Genius deſuper volitans illi offert; & revera togati ſemper lanea redimiti obſervantur.

Ciſta pomis plena cum flabello Deae votivo antecedentibus reſpondet.

Cellula Larium parieti ſuſpenſa conſpicitur; ex illa plerumque Dea aliqua caput profert. In hac vero Tabula nemo Deorum, ſive ulla Dearum conſpicua eſt, ſed tantum columba, ſive alia quaelibet avis Veneri ſacra, aut alteri ex Deabus, quae huic ſolemnitati intereſſent. Cauſſa in occulto eſt, an id ſymbolum ad Numen aliquod referendum ſit, ſive potius ad auguria, quae pro vanitate illorum temporum in omni actione expetebantur.

Infra puer togatus in conſpectu matris coronam a Genio ſibi oblatam oſtendit. Illa interim ſacrum parat cum lance pomis referto, & uvae racemo, quo Genium ipſum honorabant.

TAB. LXXXVII.

IDEM ARGUMENTUM.

TIro nudus e Balneo ſurgens decuſſatam placentam Diis domeſticis ſuſpendendam adtollit. Sequitur vir exertus ſtrigilem oſtentans, quo adoleſcens in balneo uſus eſt. Adſtat contra togatus alter, fortaſſe unus ex adoleſcentibus, qui, toga jam adſumpta, intra ambitum togae brachia includit, quod modeſtiae cauſſa per annum fieri conſueviſſe, alibi oſtendimus.

In inferiore Vaſculo Mater diſcincta ſedens Genium precibus accerſitum ſalutat. Filia contra cincta pariter ſedens ſacro miniſterio praeſto eſt. Nam puellae ſemper cinctae ſacris miniſtrant, matres vero, tamquam Antiſtitae in quibuſdam ſacris recinctae operari debebant. Servius in IV. Aeneid. v. 518.: *Ad Junonis Lucinae ſacra non licet accedere, niſi ſolutis nodis*.

TAB. LXXXVIII.

IDEM ARGUMENTUM.

NIhil novi praeſeferunt imagunculae in hiſce Vaſculis depictae, ſed ea, quae de hac caeremonia ſuperius dicta ſunt, confirmant. In ſuperiore adoleſcens togatus & e balneo procedens ciſtulam adtollit cum puerili praetexta Diis domeſticis reſignanda.

da. Caput galericulo contectum Pictoris incuriae tribuendum est, nam Adolescentes tonsi, & coronati domestico huic sacro interesse debebant. Cirrus in auriculam dependens omnino alienus est a cultu viri togati; Pictor melius auriculam expressisset. Ast haec artifici properanti condonanda sunt. Orbiculi ante pectus adolescentis cumulati ingentem florem negligentius expressum mihi referunt, potius quam seriem bullarum puerilium, quas alioquin Laribus suspendi consuevisse, non dubitamus.

Alter adolescens, composita in gyrum toga, procedens in Vasculo inferiore illum exprimit, qui, peracto sacrificio, recedit a Larario, ut in publicum prodeat.

TAB. LXXXIX.

PATER CUM NATO SACRA FACIENS.

Recurrit argumentum Sacri Praetextati. Ad Aram domesticam pater exertus baculum stringens filium toga involutum adhortatur ad liberioris vitae curriculum laudabiliter capessendum.

In adverso latere materfamilias reticulo ornata, juncta sibi sacrificula, quae nudo capite ministrat, vitem sacram Genio filii dedicatam honoribus consuetis prosequitur. Puella florem adponit, mater vero arculam adtollit, in qua instrumenta sacrificii, & ampullae condebantur, ex quibus liquores caeremoniae convenientes in vitem sacram funderentur.

TAB. XC.

IDEM ARGUMENTUM.

Dum genitor exertus filium togatum adloquitur, geminae mulieres sacrum ad Aram perficiunt, utraque matronali cultu. Duplex hic mihi conjectura proferenda occurrit. Prima nempe, convenisse simul matronas sanguine conjunctas ad hanc explendam domesticam celebritatem, ut decentius perficeretur; Altera vero, consuevisse matronas, cum Saturnalia recurrerent, ancillas suas matronali habitu excipere, quemadmodum promiscue etiam ad mensam cum servis admittere solebant. Macrob. Satur: I. 7.:

Exercent epulas laeti, famulosque procurant
Quisque suos, nostrique itidem, & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem;

ibique Macrobius originem Sacri referens ad Saturnum subdit: *Quod nondum quisquam servitio de libertate discriminabatur: In Saturnalibus tota servis licentia permittitur*; & rursus cap. VIII.: *Cautum est, ut Saturnalibus, exaequato omni jure, passim in conviviis servi cum Dominis epulentur*. Hinc mihi suspicio oboritur, sublatam quoque in Saturnalibus fuisse servilis habitus differentiam.

Ex mulieribus una thus in aram fundit, altera pateram adtollit; ut thure, & vino Sacrum consistat.

TAB. XCI.

IDEM ARGUMENTUM.

PArum distat a praecedenti haec Tabula, in qua mulieres geminae sine stola, sed cum domestica exomide sacrum parant. Placenta decussata jam parieti suspensa est. Praecedit ministra cum uvae racemo, & vitta sacra. Materfamilias armillis, & torque margaritifero ornata pateram adtollit. Post illius tergum fluitat mantile sacrum, quo in hisce caeremoniis obeundis, & praesertim in honorem Bacchi utebantur, ut saepe innuimus, saepiusque notandum occurret, cum libro sequente de Etruscorum Orgiis agendum erit.

TAB. XCII.

IDEM ARGUMENTUM.

IN hac Pictura deest Tiro, in cujus gratiam peragitur caeremonia. Ceterum parentes pro nato vota concipiunt, & mater arae innixa vittam Diis sacrat, sive interim cingulum sit, quo puerilis bulla ligabatur. Notandum est, matronam hanc duplicem armillam in dextero brachio gestare, nullam in sinistro, ut in Tabula praecedente. Sub placenta Laribus dicata gyrus conspicitur orbiculorum, ut in Tabula LXXXVII., de quo videnda, quae eo in loco suspicati sumus.

Parens exertus libum alterum parieti appensum contemplatur. Pendet

det ex altera parte linea continua orbiculorum, quos ego libenter referam ad illas marinas pilas, quae Laribus dedicari solebant, ut saepissime indicavimus.

Tab. XCIII.

MATER OCCURRENS GENIO FILII.

GEnius filii, qui togam adsecutus est, vitem sibi sacram, ac veluti in tutelam susceptam praeseferens, matri occurrit, quae pro filii custodia dignanter a Genio suscepta grates videtur rependere. Frequens est apud Etruscos caeremoniis suis Deos interserere, atque ea, quae intellectu tantum concipiebantur, humanis actionibus copulare. Genios praesertim, veluti corpore constarent, sibi ipsis sacrificantibus occurrentes libenter repraesentabant. Hinc recte deducimus, quid de Geniis sentiret illorum Philosophia. Putarunt aliqui, Genium nihil esse, nisi animum hominis, ut ex Valerio Sorano refert Divus Augustinus de Civit. Dei lib. VII. cap. 13.: *Alio loco Genium dicit esse uniuscujusque animum rationalem, & ideo esse singulos singulorum.* At longe aliud reputabant Etrusci, apud quos antiqua Patrum traditio castigatior servabatur, Genios nempe cuique homini adsignatos divinam esse progeniem in hominum custodiam destinatos, longeque diversos ab uniuscujusque spiritu, qui sub Genii tutela traderetur, ut in Acherontico constituimus cap. 13. De hoc vero plura dicenda sunt libro sequenti, ubi de Philosophia Etruscorum ex professo disputare constituimus. Et revera in hisce Picturis puerorum Genii ab illis distinguuntur, & divinis honoribus cumulantur, qui filiis numquam tribuuntur.

Tab. XCIV.

IDEM ARGUMENTUM.

OMnia hic respondent Picturae praecedenti, licet argumentum diversis lineamentis exprimatur. Genius matrifamilias occurrens vitem bifidam in disco praesefert, veluti conferendam in memoriam susceptae a filio togae, alteraque manu uvae racemum substinet, munus alioqui Genio gratissimum, quo tamen parenti ominatur,

tur, vitem hanc ſymbolicam aliquando fore fructiferam, dulceſque racemos parentibus adlaturam.

Ad pedes Genii ſurgit arbuſcula, de qua ſaepe mentio facta eſt.

Tab. XCV.

PARENS POST TRADITAM FILIO TOGAM ILLUM ADLOQUITUR.

INteriit ſchema poſterioris adſpectus hujus Vaſculi. In praeſenti, quod unum ſupereſt, argumentum jam tritum exprimitur, nempe genitor, qui, data filio ſuo virili toga, illum in Deorum domeſticorum conſpectu adhortatur, ut, puerilibus rejectis curis, novas virili aetati convenientes ſuſcipiat, graviterque ſe gerat.

Tab. XCVI.

PATER, ET NATUS JAM TOGAM INDUTUS CUM THYRSO FRONDENTE.

CLaudunt hanc Vaſculorum primam Centuriam quina Vaſa Etruſca, quae in noſtro Muſeo adſervamus, quorum Picturae ad hanc caeremoniam adludunt. Inter haec duo Vaſa majoris molis numeramus ore patulo in formam poculi Bacchici efformata ex his, quae vino plena ſuper *machinulam incitegam* in menſa ſtatuebantur, unde vinum in pocula exhauſtum convivis miniſtrabatur, praeſertim cum Bacchi feſta recurrerent. Haec vero Vaſa, veluti Baccho ſacra, libenter ad mortuorum cineres recondendos frequentiſſime adhibebantur; Putabant enim, ſuffragia Bacchi, cui haec Vaſa ſacra erant, maxime conducere ad criminum maculas diluendas, ut ſaepe adnotavimus. Et revera gemina haec Vaſa ex agro Campano, unde in mei poteſtatem advenerunt, cineribus plena inventa ſunt, ſuperpoſita ingenti patera fictili ejuſdem operis, quae in miniſterio funeris probabiliter adhibita fuit. Par in utroque Pictura, ut qui unum videas, utrumque vidiſſe reputabis.

Pater, & natus pariter togati virgam proceriorem ſtringunt, Etruſco more, foliis repandis inſignem, quam in orgiis celebrandis uſurpabant; cum enim in illorum celebritate toga tribueretur, mirum non eſt,

est, adolescentes, cum inter viros censerentur, ad Bacchi sacra celebranda fuisse admissos. Apud Graecos thyrsi nucem pineam, & vittam sacram praeseferunt. Thusci vero frondibus amplioribus illas ornabant, unde Ovid. Metam. IV. Italicum morem sequutus *frondentes* illos appellat:

frondentes sumere thyrsos
Jusserat,

& libro XI.:

& fronde virentes
Conjiciunt thyrsos.

Ex duabus imaginibus inferiorem filio adtribuimus, post cujus terga parergon arboris sacrae consurgit in memoriam celebritatis consitae, & diligenter exsculptae.

Tab. XCVII. et XCVIII.

MATER CUM NATO AD ARAM.

MAter ante Aram elata manu filium libera toga indutum e sui custodia dimittit. In adversa parte parens seorsim positus ante Aram domesticam pro filio vota concipit, brachiis, manibusque velatis, quae formula obsequium denotabat, simulque animi compositionem, qua Deos convenire oportebat. Lucret. lib. V.:

Nec pietas ulla est velatum saepe videri
Vertier ad lapidem,

& Tibul. I. 3.:

Ut mea votivas persolvens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeat,

& Propert. lib. II. 28.:

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit.

Tab. XCIX.

ADOLESCENTES TOGATI.

CRedibile est, pocula hujus moduli adolescentibus minoris fortunae dono dari consuevisse a parentibus, vel affinibus, ut monumentum aliquod hujus solemnitatis apud se conservarent, in quibus nil, nisi puer togatus, & undique velatus expressus esset, quemadmo-

admodum, ſumpta toga, Diis vota ſolvebat. Notandum eſt, utramque imaginem coronatam eſſe, unde ſuſpicor, faſciolas illas tam frequentes in Picturis hujuſce argumenti, quas ſuſpicati ſumus ad bullas pueriles pertinuiſſe, etiam ad hoc capitis ornamentum poſſe referri, cum ſaepe videamus, tirones iſtos hoc redimiculo eſſe ornatos. Fortaſſe non omnes Etruriae populi eodem jure utebantur, quo incoſtantia hujus moris eſt referenda.

Tab. C.

IDEM ARGUMENTUM.

IN poſtremo hoc poculo Muſei noſtri puer togatus expreſſus eſt nondum in publicum prodiens, ſed ſtrigilem adtollens, munus conſuetum tironibus adtributum, quo poteſtas ſibi conceſſa publicorum balneorum ſignificabatur. Virgam frondentem ſtringit indicium temporis, ſive Bacchanaliorum, ſive Saturnaliorum, quibus toga tribuebatur.

In altera parte mater capillata ſtrigilem ſubſtinet filio tribuendum. Habitus utrique par, nullo ſexus diſcrimine intercedente; nam hoc more antiquiores utebantur. Aſcon. in Cic.: *Toga communis habitus fuit, & marium, & feminarum*. Non. XIV. 25.: *Toga non ſolum viri, ſed etiam feminae utebantur*; Citatque verba Varronis in lib. de Vita Pop. Rom. *Commune veſtimentum fuit toga diurnum, & nocturnum, muliebre, & virile.*

Finis Voluminis I.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR

Numerus Romanus indicat Tractatus praeliminares, Arabicus vero explanationes Tabularum.

A

B

E

F

G

Tria

M

R

S

T

Illius

V

Vin-

FINIS.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. XXXV. Mytthici	Mythici
XLV. Abibus	Avibus
LXIII. Nisi	Ni si
LXV. μονοκράματος	μονοκρώματος
33. & XXIV.	& XXIX.
77. Laria	Lararia



In Bibl. Vaticana



Pars anterior eiusdem Vasis





Pars posterior eiuſdem Vasis



In Museo seu Biblioth. Vaticana



ALTERA FACIES EIVSDEM VASIS ETRVSCI.



ALTERA FACIES EIVSDEM VASIS ETRVSCI.



Bononiæ in Mus. Instituti



In Bibl. Vaticana



Prior aspectus eiusdem Vasis



Alter aspectus eiusdem Vasis

T.XI.



In Museo Cæsareo



T. XII.



Pars altera eiusdem Vasis

I · F · S ·

T. XIII.



Vas Fictile Altum Ped. I Vn. III





Romae in Bibliotheca Vaticana.



In Mus. March. Perultiæ   Vinc. Franceschini Scu.

T.XV.



In Mus. Vaticano



Integer aspectus Eiusdem Vasis

T. XVII.



Alt Vnc. VIII



In Museo Iorio

A.S.



T. XVIII.




Venetiis in Mus. Arrigonio



Alt. unc. VIII. cum dimid







Alt. unc. IX. Venetiis in Mus. Arrigonio





T. XX.





In Museo Goriano





T. XXI



Alt. P. I. Vnc. IV.



Romae in Museo Ficoronio






Venetiis in Mus. Grimano

T. XXIII.



Alt. pal. II unc. I. cum dimid.





In Bibliotheca Vaticana

T. XXIV.



Palm I Unc II.





In Biblioth. Vaticana.




Bononiae in Museo Instituti





In Museo Barberino





In Vaticana



Pars anterior eiusdem Vasis



Pars posterior eiusdem Vasis

T. XXX.



Antica Vasculi Extat in Museo Monast. S. Martini Benedictinorum Panormi



T. XXXI.



Postica eiusdem Vasculi, quod in eodem Museo Monast. S. Martini adseruatur.



Alt Ped. I.






Romae in Museo Costanzio

J. V. sc.

T. XXXIII



Huius magnitud. in Museo D. Hammond.

And. Scacciati sc.





Neapoli misit D. Hammond



T·XXXV·



Catenae in Museo Princ. Bischeriae alt. ped. 2.



Pars posterior eiusdem Vasis



Neapoli in Museo P.P. Oratorii



Pars Posterior eiusdem Vasis

T. XXXIX.



Catanae in Mus. Princ. Bischeriae alt. ped. 2.



T.XL.



Pars postica eiusdem Vasis



In Museo Lorio

T.XLII.





Volaterris in Museo Guarnaccio



Neapoli apud Com. Pianura

T. XLIV.



Apud D. Friderik Anglum



Aspectus superior præcedentium Vasculorum

T.XLVI.





In Museo Cortonae

T.XLVII.





In Museo Cl. Comitis Thoms



In Vatic.



Apud Ficoronium









Apud Cl. Ficoronium

T.LI



Bononiae in Museo Nob. Vir. I.V.D. Io. Dom.ci Catanei. alt. ped. 1.

T. LII.



Pars aversa eiusdem Vasis



Neapoli in Museo PP. Oratorii







In Biblioth. Vaticana

T.LV.







In Museo Kircheriano

T.LVI.



Alt. Pal. I. Vnc. II.





Ex Musio Ficoronio Romae



Pars antica)(In Museo Goriano

T·LVIII·



Vas Fictile Alt. Ped. I. Vnc. VII.[m] *In Museo Mediceo*

Integer aspectus prioris Vasis T. LIX.


Figuræ in collo ex parte antica Vasis


Figuræ in collo ex parte postica Vasis


Figuræ in ventre Vasis

And. Scacciati Sc.

Back of
Foldout
Not Imaged



Neapoli in Museo PP. Oratorii

T.LXI.







Apud D. Constantium



In Museo Gorio alt. unc. VIII.





Romae in Museo Constantio.









Antica Vasis Nolae, in Museo Mastrillo.


T. LXIV.

Postica eiusdem Vasis, ibidem.

A.S.S.

T.LXV.







In Museo Kircheriano

T.LXVI.



Alt Pal I Unc I.





In Museo Monasterii S. Martini Panormi.









In Museo Mediceo

T. LXVIII.



Alt. Unc VI.





In Museo Barberinio



GENII SACRVM



Apud Cl. M. Aegyptium

T.LXX



Alt. P. I. Vnc. I.



Cataniae in Monast. S. Nicolai de Arena

I V sc



Antica Vasculi Alt. Vnc. VIII.



Inter Cimelia Paulli M. Paciaudi C.R.

J.V. sc

T.LXXII.



Alt. Ped. I Unc. IV.





Mediolani in Museo March. Peraltae.



T.LXXIII.



Alt. pal. I. unc. VII





In Museo Monasterii Casinensium Catanae



T.LXXIV.



In Mus. Gorio alt: unc. VIII





Romae Ex Museo Ficoroniano

T.LXXV.








In Museo Riccardio







T.LXXVI



Alt.unc.VII.cum dimid.



Venetiis in Museo Arrigonio

T. LXXVII.



Alt. Unc. X.



In Museo Mediceo Imperiali

A. P. sc.






T·LXXVIII·

T. LXXIX.



Postica eiusdem Vasculi

J. V. Sc.



T.LXXX.





Apud D. Constantium


T·LXXXI·

T. LXXXIII.



Alt. P. I. Vnc. VI.





In Museo Collegii Romani

T. LXXXIV.



In Instit. Acad. Bonon. *Alt. Ped. Rom. II. Vnc. 3.*







T.LXXXV.



Pal.I. inc.4





Bibliot. Vat.







In Bibl. Vaticana


T·LXXXVII·
Alt. Unc VIII.
Alt. Ped I. unc III.
In Museo Collegii Romani

T.LXXXVIII.



Alt. pal. I. unc. VI *Alt. pal. I. unc. VI.*





Romae in Museo Constantio

T.LXXXIX.



Alt. Pal. I





Perusiae in Museo Ansideo


J.V. sc.

T. XC.



Vas Fictile Altum Ped. I.





In Bibliotheca Vaticana







T.XCI.



Alt. Ped. Rom. I.





Neapoli in Museo Ill. Com. Pianura

J.V. sc.

T. XCII.



Alt. Palm. I. Vnc. IV.





In Museo Bibl. Vaticanae

J V Sc.

T. XCIII.



Alt. Pd. Rom. I. Vnc. I





A. S. In Instit. Acad. Bonon.

T. XCIV



Alt. Pal. I Vnc. I





In. Biblioth. Vaticana

T. XCV.



Neapoli, in Museo PP. Oratorii

Antica Vasculi alt. Pal. 1. cum quadr.

J. V. sc.



Pisauri in Museo Passeriano



Alt. palm. 1. ½. pictura rubri Coloris in Campo nigro

Io. B. Passerius V. Cl. delin.





T. XCVII.



Vas fictile huius magn. in Museo Passerio.

I. B. Passerius del.

V. F. S.

T. XCVIII.



Vasis eiusdem facies aduersa.

I.B.Passerius del. V.F.S.

T.XCIX.





I.B.Pass. del. V.Fra. S.

Vasculum utraque parte pictum, exstat in Museo Passerio.



Vasculi fict. Mus. Passerii utraque facies.



